ANALECTA LIBANIANA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONCESSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

MAX SCHWABE
HALENSIS

DIES PROMOTIONIS: DIES 15 M. OCTOBRIS MDCCCCXVIII

BEROLINI
APUD SITTENFELDUM
1918

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt

U. de Wilamowitz-Moellendorff Dr. Prof. publ. ord.
H. Diels Dr. Prof. publ. ord.

TYPIS EXPRESSIT J. SITTENFELD

Udalrico

de

Wilamowitz-Moellendorff

Conspectus argumenti.

Praefatio.

Pauca, quae legentes non ignorare e re esse arbitror, praemonere meum puto. Hoc enim opusculum iam ante hos quattuor annos confectum, quod, ne suo tempore ederem, variis atque iniquis belli casibus impediebar, nunc demum immutatum in lucem prodit; itaque quod librorum interim de Libanio conscriptorum rationem non habuerim, facile legentibus excusatum me fore spero.

Nonnulla atque egregia Wilamowitzius, magister venerabilis, de suo contulit, quae quod hoc loco publici iuris facere per eximiam eius benignitatem mihi licuit, maximam ei gratiam et ego habeo et Libanii studiosos habituros esse confido.

Editione utor Libanii ea, quam R. Foerster Bibliothecae Teubnerianae inserendam comparavit; cuius editionis tum quidem volumina I—VII in publicum prodierant, octavo autem illo tempore prelis commisso, interim confecto et edito, cum Foersterum in plagulis corrigendis adiuvarem, editoris doctissimi et praestantissimi benevolentia uti licuit.

Mense Septembri 1918.

Max Schwabe.

CAPUT I.

De Nymphaeo Antiocheno.

(Lib. vol. I, 2, p. 506, 6 sq.)

Veteris urbis porticuum[1]) descriptio, quae incipitur p. 504, 8 sq. paululum intermissa excipitur p. 506, 6 his verbis: *τῶν τοίνυν στοῶν, ὅπερ ἔφην, ἐξ ἀνίσχοντος ἡλίου πρὸς δυσμὰς τεταμένων καὶ τοσοῦτον μήκους ἐπεχουσῶν, ὅσον ἂν καὶ τρισὶν ἀπέχρησεν ἄστεσι, κατὰ μέσην μάλιστα τὴν δεξιὰν ἀψῖδες πανταχόθεν τετραμμέναι μίαν ὀροφὴν ἔχουσαι λίθου παρέχουσιν ἀρχὴν ἑτέραις στοαῖς πρὸς ἄρκτον ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προϊούσαις τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερὸν οὐρανόμηκες λίθων αὐγαῖς καὶ . . . πάντα ὀφθαλμὸν ἐπιστρέφον.* Variarum lectionum, quae codicibus exhibentur, praecipue haec nobis respicienda est: pro *τὸ περί* U I Mo codices habent *τὸ δὲ περί* contra ceteros. Codicum auctoritas quantum valeat, Foersterus ibidem p. 433 diligenter docet, cuius e dissertatione elucet U I Mo non satis habere auctoritatis, ut horum lectionem ceterorum consensu neglecto in textum recipiamus[2]). Et ipse Reiskius (editionis Libanianae I p. 339 adn. 46) spreto illo *δέ*, quod in

---

[1]) Penitus ut perspiciantur, quae expositiuri sumus, ante oculos habeas oportet urbis Antiochiae tabulam depictam, quam Odofredus Muellerus commentationibus clarissimis addidit, quibus inscribitur „Antiquitates Antiochenae" (Gotting. 1839). Quam tabulam quamquam permulta falsa praebere Foersterus (Antiochia am Orontes. Jahrb. d. arch. Inst. XII, 1897, p. 103 sq.) demonstravit, tamen ad hanc quam nos tractamus rem sufficit.

[2]) U I Mo codices a ceteris omnibus pravum in modum abscedunt praeter illum his locis p. 453, 6, 486, 5, 499, 15.

Bavarico suo invenit, *ἱερὸν* a *παρέχουσιν* pendere vult. Aliter Muellerus qui l. c. p. 59 adn. 18 particulam *δέ* utpote aptam sententiae inserendam esse censet. Contra quem disputat Foersterus (Jahrb. d. arch. Inst. l. c.) p. 123 adn. 92. Iterum, quomodo hic locus intellegendus sit, explanat vol. III praefationis criticae p. XXXVII, ubi contra Schmidium (cf. Lit. Zentralblatt 1904, p. 232 sq.) qui pro *τὸ περὶ αὐτάς* scribendum proponit *ὑπερέχει δ' αὐτάς*, locum qualem edidit diserte defendit his: „*παρέχουσιν* habet duplicem accusativum, obiecti *τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερόν*, praedicati *ἀρχὴν ἑτέραις στοαῖς*." Foersterum igitur idem videmus sentientem ac Reiskium. Denique nuper locum tetigit Paulus Friedlaenderus (Johannes von Gaza und Paulus Silentiarius) p. 98, qui Nymphaeum illud prope ad *ἀψῖδας* illas extitisse arbitratus locum lacuna corruptum esse statuit, quae hiscit *προϊούσαις* inter et *τὸ περὶ αὐτάς* verba (cf. ibid. adn. 6). Iam doctorum virorum sententiis quas de loco tulerunt perlustratis rem ipsam aggrediamur.

Veteris urbis magna platea ita exstructa erat, ut porticus duae paribus intervallis inter se distantes ab oriente ad occidentem progrederentur (cf. p. 504, 8 *ἀρξαμένη* (scil. *ἡ πόλις*) *γὰρ ἐξ ἕω πρόεισιν ἐπὶ δυσμὰς ἰθυτενής, δίδυμον στοῶν ὕψος ἐκτείνουσα*), inter quas spatium extabat sub divo relictum. Quae hoc de quo quaestio fit loco commemorantur arcuationes, in media dextra porticu sunt (*κατὰ μέσην μάλιστα τὴν δεξιάν*), h. e. dextra ab oriente in occidentem si procedis, ut recte monet Foersterus l. c. p. 123 adn. 92. Cur autem arcuationes illae quattuor ex quaternis caeli partibus in unum coeuntes in sola altera porticu aedificatae sint, bene perspicitur, quoniam in meridiem porticus non deducuntur. Cum verba *περὶ αὐτὰς* ad *στοαῖς* referri nequeant, verborum aptus nexus fingi non potest nisi *περὶ αὐτὰς* referimus ad *ἀψῖδες*. At si locum sic accipimus: „arcuationes praebent ortum porticibus in septentriones porrigentibus Nymphaeum, quod circa arcuationes est", res non satis perspicitur. Nam aut arcuationes ipsae ortum praebent et Nymphaeum sub arcuationibus quasi tecto

exstructum est, aut a Nymphaeo ipso porticus oritur ab arcuationibus dissito, sed hoc si fuisse credimus, non arcuationes ortum praebent. Inest ergo huic loco nulla quae accipi possit ratio. Denique summum hoc accedit, quod in urbe nova ex arcuationibus ipsis porticus oriuntur. v. p. 507, 9 *ἐκ δὲ ἀψίδων τεττάρων ἀλλήλαις συνηρμοσμένων εἰς τετράγωνον τύπον ὥσπερ ἐξ ὀμφαλοῦ τέτταρες στοῶν συζυγίαι καθ' ἕκαστον τμῆμα τοῦ οὐρανοῦ τέτανται* . . . Iam cum loci intellegendi ratio non relinquatur, corruptum eum esse statuendum videtur.

Ac primum quidem, cum ex Libanii verbis Nymphaeum ubi situm fuerit colligi nequeat neque loco medela adhiberi possit, testium, qui quidem de Nymphaeo Antiocheno aliquid doceant, suffragia quaerenda mihi proposui. Sed antea quid de summo teste Foersterus iudicaverit, apponere mihi liceat: (l. c. p. 123 adn. 92) „Müller p. 59 hat Z. 17 fälschlich aus dem codex Bavaricus *δέ* zwischen *τό* und *περὶ αὐτάς* eingeschoben und dadurch, daß er das von Euagr. hist. eccl. II, 12 genannte Nymphaeum mit diesem identifizierte, es gegen den Wortlaut des Libanius ans Ende der Nordkolonnade gesetzt . . . Aber Euagrius sagt, daß das vom Erdbeben betroffene Nymphaeum zur Ostrakine gehörte, daß die Kolonnaden der Altstadt aber nicht gelitten hätten.“ Euagrii autem verba haec sunt (hist. eccl. II, 12, ed. Bidez et Parmentier, London 1898, p. 63, 25): *Οὗτος τοίνυν ὁ σεισμὸς τῆς καινῆς τὰς οἰκίας ἁπάσας σχεδὸν καταβέβληκε, πολυανθρώπου ταύτης γεγενημένης, καὶ οὐδὲν ἐχούσης ἔρημον ἢ ὅλως ἠμελημένον* . . . sequitur aedificiorum novae urbis terrae motu deletorum enumeratio, quae nobis quidem nihil ad rem. Deinde sic p. 64, 5: *κατὰ δὲ τὴν παλαιὰν τῶν μὲν στοῶν ἢ οἰκημάτων πτῶσις ὅλως οὐκ ἔψαυσε, τῶν δὲ Τραϊανοῦ καὶ Σευήρου καὶ Ἀδριανοῦ βαλανείων μικρὰ κατασείσας ἀνέτρεψε. Καὶ τῆς γε Ὀστρακίνης οὕτω καλουμένης γειτονίας τινὰ συγκατέβαλε σὺν καὶ ταῖς στοαῖς καὶ τὸ καλούμενον Νυμφαῖον ῥίψας. Ὧν τὸ καθ' ἕκαστον περιέργως Ἰωάννῃ ἱστόρηται τῷ ῥήτορι. Φησὶ δ' οὖν* . . . Oratio in duas dividitur partes, quarum altera continet novae urbis damna, altera veteris aedificiorum, quae

quidem ruinis obruta sint. *Κατὰ δὲ τὴν παλαιάν* verbis transitu facto ad veterem urbem cum alia tum haec referuntur Nymphaeum Ostracinae quae dicitur delubrum fuisse. Quamquam Ostracina quid sit e loco non cognoscitur, tamen hoc certe statui potest Ostracinam quomodocumque pertinere ad veterem. Itaque cum Nymphaei qui fuerit situs indagandum nobis proposuerimus, nihil antiquius habemus quam ut Ostracina quid sit enucleare conemur. Idem Euagrius h. e. VI, 8 p. 227, 8 sq. haec: . . . *βρασμὸς καὶ κλόνος ἐπελθόντες τὴν πᾶσαν μὲν κατέσεισαν πόλιν· τὰ πολλὰ δὲ καὶ κατήγαγον . . . ὥστε πάντα τὰ περὶ τὴν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν ἐς ἔδαφος ἐνεχθῆναι . . . Πέπτωκε δὲ καὶ τὰ πολλὰ τῆς καλουμένης Ὀστρακίνης, καὶ* . . . His verbis qui enarratur terrae motus factus est anno 588 p. Chr. n. Mauricio imperatore (cf. Mueller l. c. p. 17). Quem antecesserunt motus anno 526 et 528 p. Chr. n. facti, quibus tota urbs diruta est (v. Malal. ed. L. Dindorf 1831, 419, 17 *καὶ ἐκ τούτου Ἀντιόχεια ἄχρηστος ἐγένετο. οὐκ ἔμεινε γάρ, εἰ μὴ τὰ πρὸς ὄρος μόνον παροικούμενα οἰκήματα.* Similiter Procop. de bello Pers. II, 14, 6). Quos post Iustinianus imperator urbem restituendam curavit, ita ut et firmior fieret et multo contractior (cf. Foerster. l. c. p. 131 sq.). Quamquam, quo modo urbs mutata sit, fusius non explanabo, tamen hoc certe dicam: Iustinianum insulam h. e. urbem, quae nova dicitur, totam missam fecisse, ita ut Orontes flumen urbem non perflueret sed praeterflueret (cf. Foerster. l. c. p. 132) et urbs in id spatium restringeretur, quod esset inter montes et Orontem flumen. Talis urbis figura manebat usque ad illum terrae motum, de quo Euagrius VI, 8 verba facit. Itaque omnia quae memorantur aedificia intra hoc spatium sita esse apparet, in quod Iustinianus imperator urbem redegit. Aedificia autem quo ordine Euagrius ipse Antiochenus vel unde orsus quo tendens enumeraverit, non curo cum pleraque ubi collocata fuerint sciri non possit; hoc solum nobis summi momenti est Ostracinam, quae dicitur, intra urbem esse collocandam et, quod ex verbis *τὰ πολλὰ τῆς καλουμένης Ὀστρακίνης* cognoscitur, vicum Antiochiae fuisse. Hoc pro certo statuimus. Sed

quid tandem profecimus? Permulta puto. Scimus Ostracinam, intra quam Nymphaeum situm est, illius Antiochiae partis fuisse, quae olim ante Iustinianum restituentem urbs vetus appellabatur, non, ut opinetur quispiam ex verbis Euagrii (II, 12), Antiochiae suburbium.

Hoc probato redeamus unde exorsi sumus ad Euagr. II, 12. *Καὶ τῆς γε Ὀστρακίνης οὕτω καλουμένης γειτονίας τινὰ συγκατέβαλε σὺν ταῖς στοαῖς καὶ τὸ καλούμενον Νυμφαῖον ῥίψας.* Quid hoc loco sibi vult *γειτονία*? Cuius vicinia indicatur? Nam cum veteris urbis vicum Ostracinam esse sciamus, urbis veteris *γειτονία* esse non potest. Hoc ut enucleemus sententiarum nexum diligenter perspiciamus oportet. Euagrius incipit ab his verbis: *ὁ σεισμὸς τῆς καινῆς τὰς οἰκίας ἁπάσας σχεδὸν καταβέβληκε* . . . sequitur aedificiorum subversorum enumeratio. Excipitur, quam exscripsi, sententia his: *Κατέρριψε δὲ καὶ τὰς στοὰς . . . καὶ . . . καὶ* . . . Deinde transitus fit ad veteris urbis ruinas sic: *Κατὰ δὲ τὴν Παλαιάν* — quod recte vertas ‚in urbe vetere', cf. ibidem p. 63, 10 sq. *κλόνος . . . ἀνὰ τὴν Ἀντιόχου γίνεται, τινῶν μὲν παρὰ τοῦ κατ' αὐτὴν δήμου προγεγενημένων* —, et primum quidem Euagrius verbis *τῶν μὲν στοῶν ἢ οἰκημάτων πτῶσις ὅλως οὐκ ἔψαυσε* terrae motum porticus et domos omnino non attigisse narrat, deinde, quae minimam labem contraxerunt, adferuntur illa tria balnea, tum sequuntur quae supra denuo exscripsi *καὶ τῆς γε Ὀστρακίνης . . . κτλ.* Quibus verbis neque integra remansisse aedificia quaedam neque leviter laesa esse dicit, sed re vera concussu eversa (*καταβάλλειν*). Atque cum interim aedificia motu aliud passa enarrentur, Euagrius ut ad illa supra enarrata orationem adiungat, non dicit *κατέβαλε*, sed *συγκατέβαλε*. Atque *συγκατέβαλε* verbum, ad quod ut subiectum supplendum est *ὁ σεισμός*, plane excipit illud *Οὗτος τοίνυν ὁ σεισμὸς τῆς καινῆς . . . καταβέβληκε* et quod paulo infra legitur *κατέρριψε*[1]). Quo modo cum has sententias arte cohaerere

[1]) Sic verba interpretantem me recta ratione procedere vel hinc perspicitur: *κατέρριψε δὲ καὶ τὰς στοὰς . . . καὶ τὸ . . . τετράπυλον, καὶ . . . τοὺς πύργους, καί τινας τῶν . . . στοῶν.* Res deletae *καί* vocula

demonstratum sit et utriusque urbis ruinae narrando sic connexae videantur, inducimur, ut *γειτονίαν* illud, quod quo referamus nescimus, ad novam urbem referendum esse conseamus. *Ὀστρακίνη* igitur vicinia novae urbis est, h. e. vicus veteris urbis, qui prope urbem novam iuxta Orontis fluminis, quod insulam circumfluit, meridionalem partem situs est. Quocum valde consentit terrae motus natura, qualem esse docent qui sismologiae maxime student viri docti. Concussus enim non certa in linea finem habet, sed paulatim vigere desinit. Atque hic qui Antiochiam vexavit motus ortus a septentrionibus in meridiem progressus novam urbem paene totam perdidit, deinde quae ei proxima erant, Ostracinam dico, delevit, tum languescens quae longius aberant non plane corrupit, sed leviter labefecit. Iam cum Ostracina ubi fuerit cognoverimus, scimus Nymphaeum non procul a flumine afuisse.

Alter Nymphaei Antiocheni testis extat Johannes Malalas p. 244, 4: *οἵτινες* (scil. *Πόντιος καὶ Οὐάριος*) *πολλὰ πάνυ οἰκήματα ἐκ τῶν ἰδίων ἔκτισαν· πρὸς δὲ τοῖς οἰκήμασι καὶ ἄλλα πάλιν ἔκτισαν οἱ αὐτοὶ συγκλητικοὶ ἐν τῇ αὐτῇ Ἀντιόχου πόλει ἐκ τῶν ἰδίων αὐτῶν χρημάτων, δημόσιον λουτρὸν μέγα τὸ λεγόμενον Οὐάριον κάτω παρὰ τὸ τεῖχος πλησίον τοῦ ποταμοῦ, ἔνθα καὶ τὰ οἰκήματα αὐτῶν ἔκτισαν πλησίον τοῦ δημοσίου, καὶ Τρίνυμφον εὐπρεπέστατον πάνυ, κοσμήσαντες αὐτὸ ἀγάλμασιν εἰς τὸ γαμοστολεῖσθαι τὰς πολίτιδας παρθένους πάσας*. Tantum exscribi oportebat. Quo de loco Foersterus (l. c. p. 124 adn. 93) dicit sibi id, quod Malalas commemorat, Nymphaeum ideo idem videri quod Libanius, quia eadem fere apud utrumque auctorem ornamenta templi

---

connectuntur; quarum enumeratio discinditur his: *κατὰ δὲ τὴν παλαιὰν . . . ἀνέστρεψε*, denique excipitur oratio vocula ‚*καί*‘: *καὶ τῆς γε Ὀστρακίνης* . . . Hoc adferre non supersedeo: ‚*συν*‘ quod est in *συγκατέβαλε* non coniungendum esse cum *σὺν ταῖς στοαῖς* vel inde apparet, quod hoc modo referendi *τινά* et *ῥίψας* non haberent, unde regerentur.

collaudentur. Quod plane comprobo. Deinde Foersterus ibidem sic perorat: „daß es (scil. Nymphaeum) in der Nähe des Varium, also bei der Mauer am Flusse gelegen habe, folgt keineswegs aus der Stelle; ja das Gegenteil läßt sich daraus erschließen, daß Malalas die Bemerkung *ἔνθα καὶ τὰ οἰκήματα αὐτῶν ἔκτισαν πλησίον τοῦ δημοσίου* zwischen die Nennung der beiden öffentlichen Bauten der beiden Senatoren schiebt.“ Aliam de loco sententiam tulit Muellerus, qui ante Foersterum Malalae Trinymphum et Nymphaeum Libanii idem esse iudicavit, l. c. pag. 59 adn. 19: „Malalas, qui hoc Trinymphum cum Vario lavacro a fluvio non longe dissito iungit.“ Atque mihi quidem admirationem movet, quod balnei situs indicatur, Nymphaeum autem adfertur situ omnino non indicato. Verba *κάτω παρὰ τὸ τεῖχος πλησίον τοῦ ποταμοῦ* ne pro *ἀπὸ κοινοῦ* positis accipiamus, impedimur sententia quae interiecta est relativa. At inquiramus in ceteros, quibus balnea commemorantur, eiusdem auctoris locos. p. 243, 16 *καὶ ἔκτισεν* (scil. *Γάϊος*) *ἐκεῖ* (scil. Daphnae in suburbio Antiochiae) *δημόσιον λουτρὸν, πλησίον τοῦ ὄρους Γαΐου Καίσαρος* . . . Situs significatur. Aliud *λουτρόν* commemoratur Malal. 234, 10 *ὁ δὲ Τιβέριος Καῖσαρ ἔκτισεν ἐν τῇ αὐτῇ Ἀντιοχείᾳ πόλει ἱερὸν μέγα Διὸς Καπετωλίου. ὁμοίως δὲ ἔκτισεν ὁ αὐτὸς βασιλεὺς καὶ δημόσιον λουτρὸν πλησίον τῆς Ὀλυμπιάδος πηγῆς τῆς κτισθείσης ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος εἰς ὄνομα τῆς αὐτοῦ μητρός.* Jovis templum ubi fuerit non explicatur, ubi balneum accuratissime, nam rivulus hic celeberrimus erat. Ac similem in modum, ubi Domitianus balneum instruxerit, enarratur ibid. p. 263, 11, deinde autem: *ἔκτισε δὲ ἐκεῖ ὁ αὐτὸς βασιλεὺς ἱερὸν τοῦ Ἀσκληπιοῦ,* cum non ubi situm fuerit addat. Tiberiade autem, parva in urbe Palaestinae, *λουτρόν* aedificatum esse a Tiberio (ibid. p. 235, 11 sq.) quod refert situ non descripto, mirum non est. cf. praeterea p. 280, 13, p. 281, 7. Itaque concludi potest Malalam balneorum Antiochiae aliarumque maximarum urbium situm ideo indicare, quod sescenta in eis fuerunt (de Antiochia cf. Liban. I, 2 p. 523, 5 sq.). Quae ni quo modo designasset, discerni omnino non

poterant[1]). Hoc de quo agimus loco Malalas — quem Krumbacherus (Byzant. Literaturgesch.^{2} p. 327) praebere contendit das erste größere Denkmal der volksmäßigen Gräzität — designationes cumulat, ut situm balnei notet; atque simili modo permultas res ut situs significetur adlatas v. p. 290, 14sq.[2]). Iam cum cognoverimus Malalam balneorum situm accurate describere solere, templorum non, ex loco supra exscripto colligi non potest, quod volebat Foersterus, Nymphaeum alio loco collocandum esse, non prope ad flumen, sed, ubi Nymphaeum fuerit, hoc quidem ex loco intellegi non posse censendum est.

Liceat paucis complecti, quae adhuc lucrati sumus. Ostracina, intra quam Nymphaeum extitit, vicus veteris urbis prope flumen situs fuit. Nymphaeum igitur non media in urbe, sed a flumine non longe dissitum fuit. Quod Malalas de Nymphaeo refert situ certo non indicato, iudicii nostri summae non obest.

Denique ad Libanium ipsum redeamus, quem in porticuum et angiportorum ductu describendo certissimam rerum dispositionem secutum videmus, quae qualis sit, nunc expediamus[3]). Indicat primum id, unde oriuntur viae, dicamus exordium *(ἀρχή)*, deinde in quam vergant regionem, tum longitudinem quovis modo, quae etiam ita indicari potest, ut extremum viae significetur — nam extrema linea et exordio adlatis quid intersit spatii intellegitur —, denique, quo decurrunt, finem[4]).

---

[1]) Similiter Aelius Aristides Smryrnam praedicans (Keil. or. XVII, p. 4, 14): *λουτρὰ μέν γε τοσαῦτα ὥστε ἀπορήσαις ἂν οὗ λούσαιο.* Quae oratio multos praebet locos communes, quos Libanium in Antiochico (XI) adhibentem deprendimus.

[2]) Ad locum, de quo agitur, adnotare liceat *ἔνθα* referendum esse ad *πλησίον τοῦ ποταμοῦ*: „ubi domos suas et ipsas extruxerunt"; *πλησίον τοῦ δημοσίου* verbis repetitur, quod antea dictum est. Nam recte vertas „prope ad balneum illud publicum". cf. p. 276, 20 sq.

[3]) De hoc *τόπῳ ῥητορικῷ* in descriptionibus usitato cf. infra p. 55.

[4]) Finem dico id quod architecti nostri appellare solent ‚Abschluß', qui vel arte exstruitur vel natura praeberi potest. Ne longus sim, quaternas illas res litteris *a b c d* signabo et unamquamque paucis commentabor.

Iam quomodo in singulis viis describendis harum rerum ordo servatus sit, inquiramus. Atque ordiamur quidem — qua in re hoc maxime perspicuum fit — ex novae urbis porticuum enarratione: l. c. p. 507, 9.

> *ἐκ δὲ ἀψίδων τεττάρων . . . ὥσπερ ἐξ ὀμφαλοῦ τέτταρες στοῶν συζυγίαι* *a*
> *καθ' ἕκαστον τμῆμα τοῦ οὐρανοῦ τέτανται . . .* *b*
> *τούτων δὲ αἱ μὲν τρεῖς συζυγίαι μέχρι τοῦ τείχους προελθοῦσαι* *c*
> *τῷ περιβόλῳ συνάπτονται.* *d*

exordium (*a*) harum quattuor porticuum idem est, arcus illae; caeli regio quae sit porticuum omnium, simul indicatur his verbis *καθ' ἕκαστον τμῆμα τοῦ οὐρανοῦ* (*b*). Deinde segregantur porticuum tres a quarta separatim tractanda. Quae quam longae sint (*c*) postquam relatum est, quo finiuntur urbis murus significatur (*d*). Hoc potissimum ex hoc loco manifestum est, quam diligenter Libanius rerum dispositionem servare studeat, cum *μέχρι τοῦ τείχους προελθοῦσαι* et *τῷ περιβόλῳ συνάπτονται* verbis uno oculo legenti fere idem narrari videri possit, re vera autem, rerum ordinem si respicimus, res plane diversae enuntientur. Pergit orator quartam porticum describere p. 507, 14:

> *ἡ δὲ τετάρτη βραχυτέρα μὲν . . . οἷον τοῖς βασιλείοις ἐγγύθεν ἐφορμοῦσιν ἀπαντᾷ*
> *γιγνομένη αὐτοῖς ἀντὶ προπυλαίων.*

Cum exordium et regio supra enarrata sint, restat ut longitudo et finis describatur. Atque hic quidem vocabula quamquam alia adhibentur, sententia tamen eadem est: *βραχυτέρα μὲν . . . ἀπαντᾷ* (*c*) verbis perspicue quam longa sit memoratur; scilicet porticus ad regiam usque ducta est. At *γιγνομένη αὐτοῖς ἀντὶ προπυλαίων* verba ordinem quem statuimus turbare videntur; sed iterum verba tantum alia, res eadem: ‚porticus propylaeorum loco regiae est' fere idem valet, ac si dicit auctor porticum regia ipsa finiri.

Iam transeamus ad veteris urbis angiporta conspicienda p. 504, 19:

a στενωποὶ δὲ ἀπὸ τῶν στοῶν τὰς ἀρχὰς εἰληφότες
b οἱ μὲν ἐπ' ἄρκτον ἴασι
c δι' ὁμαλοῦ τοῦ παντός,
b οἱ δὲ ἐπὶ μεσημβρίας
c πρὸς τοὺς πρόποδας τοῦ ὄρους ἀνατείνουσιν.

Exordium idem est; septentrionalium angiportorum longitudo ita indicatur, ut ea per totum campum duci narretur, meridionalium ita, ut extremum afferatur. p. 505, 1 sq. *ἠρέμα μέχρι τοσούτου τὴν οἴκησιν προάγοντες . . . κτλ.* adnotatio est a laudatore patriae interposita, ne, qui audiunt verba *πρὸς τοὺς πρόποδας τοῦ ὄρους ἀνατείνουσιν,* angiportis longius ductis urbis *εὐσχημοσύνην* (ibid. v. 10) deleri putent. Iam viarum descriptio intermissa excipitur (p. 505, 16) et, qui non indicatus est adhuc, utriusque regionis viarum finis profertur. p. 505, 18: *πέμπουσι δὲ οἱ μὲν εἰς τὸ ὄρος βλέποντες πρὸς*
d *τὰς τῆς ὀπωρείας χάριτας.* Itaque meridionales angiportus in hortos[1]) exire sub ipsis montibus collocatos elucet. Deinde transit ad septentrionales p. 506, 1 *οἱ δὲ ἐπὶ θάτερα πρὸς ἑτέραν ὁδὸν . . . αὐτοὶ δὲ ἐκεῖνοι λήγουσιν εἰς τὴν ὄχθην*
d *Ὀρόντου τοῦ ποταμοῦ.* Qui priusquam in suum finem perducantur, secant alios sub divo relictos. Deinde ita, ut auctor rem premere et eo unde aberravit redire videatur, quo fine terminentur addit[2]).

Iam postquam in unaquaque describenda via et porticu quaternas illas res diligenter Libanium ex ordine enumerantem deprehendimus, restat, ut illius porticus descriptionem per-

---

[1]) *Χάριτας* vocabulo hortos spectari docemur hoc loco: p. 506, 4 *τελευτᾷ δὲ καὶ τοῦτο τὸ μέρος εἰς κήπων ὥραν πολλαχοῦ.*

[2]) Eundem rerum ordinem Bemarchius adhibuit in ea oratione, de qua cap. III agemus. Hic sufficit verba adnotare, quibus ad hanc sententiam adducti simus. I, 1 p. 104, 10 *ὁδοὺς τε ὑπ' ἀλλήλων τεμνομένας ἐμπιπτούσας ⟨τε⟩ οὐκ οἶδ' ὅποι.* Quo de loco cf. infra p. 55.

scrutemur, ex qua tantum devertimus cuiusque restituendae causa quaestionem instituimus p. 506, 10:

> . . . ἀψῖδες πανταχόθεν τετραμμέναι μίαν ὀροφὴν ἔχουσαι
> λίθου παρέχουσιν ἀρχὴν ἑτέραις στοαῖς *a*
> πρὸς ἄρκτον *b*
> ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προιούσαις *c*

sequuntur verba *τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερὸν* . . . Hanc enumerationem cum modo tractatis si comparamus, non possumus non agnoscere consensum. Etiam hic longitudo ita indicatur, ut porticus extremum memoretur: *ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προϊούσαις*, quae plane congruunt cum verbis (p. 507, 13) *μέχρι τοῦ τείχους προελθοῦσαι* (cf. supra p. 11). Denique, quod quarto loco in omnibus angiportis et porticibus describendis auctor affert, desideratur. Itaque cum iam aliis de causis in verbis *τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερόν* interpretandis in *ἀπορίαν* maximam inciderimus et nunc aliunde exorsi eodem loco alioquin offendamur, huic loco illud quartum quod desideratur subesse nostro iure colligimus. Atque lacunam hiare quantulamcumque ut credamus inducimur. Accedit quod verba *τὸ . . . Νυμφῶν ἱερόν* non habent unde pendeant. Ergo in ipsum illud Nymphaeum veteris urbis illam porticum fluxisse verisimillimum, ne dicam certum est. Iam quis est, qui neget, Nymphaeum, quod ab Euagrio commemoratur, idem esse atque illud a Libanio descriptum. Atque ita recta ratione nos procedere testantur etiam Euagrii verba, quae supra commentati sumus, *σὺν ταῖς στοαῖς καὶ τὸ Νυμφαῖον ῥίψας*, nam porticus et Nymphaeum tam arte coniuncta in motu describendo memorantur, ut altera ab altero longe abesse non potuerit[1]).

---

[1]) Locus, qui huc pertinet, legitur p. 509, 20: *ἐν δὲ μνήμῃ μεγέθους οὐδ' ἐκεῖνο παρήσω, ὅτι τῷ μήκει τῷ τῶν στοῶν ὧν πρῶτον ἐμνήσθην, εἴ τις τὰς ἀπ' ἐκείνων ἐπὶ τὸν ποταμὸν ῥυείσας συνάψειεν . . . κτλ.* Auctor patriae magnitudinem praedicans ad porticus urbis memorandas redit. Atque porticum ab oriente in occidentem porrigentem spectat verbis *ὧν πρῶτον ἐμνήσθην* (cf. p. 504, 5 sq.), eam autem, quae a meridie

Atque nunc quidem, postquam Friedlaenderum l. c. recte locum lacunosum iudicasse, O. Muellerum recte prope flumen Orontem in fine porticus Nymphaeum collocasse nobis quidem videmur demonstravisse, reliquum est, ut locum eatenus restituere conemur, ut sententia quidem aliquo modo refingatur; verba ipsa enim, quae perierunt, nos recuperaturos esse sperare non audemus. Atque ita sententia formanda est, ut quomodocumque porticum in Nymphaeum finem fluxisse enuntietur. *Προϊούσαις* ne cum *τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερόν* quavis ratione coniungere temptemus, obest et quod hoc verbum duas habet res, quas regit, *πρὸς ἄρκτον* et *ἄχρι τοῦ ποταμοῦ*, et quod ‚c' et ‚d' uno verbo exprimi non invenimus. Itaque verbum inserendum est, quod eius, quae flagitetur, sententiae vim habeat. Nobis autem praesto sunt huius significationis haec verba: Lib. I, 1 p. 104, 11 *ὁδοὺς . . . ἐμπιπτούσας οὐκ οἶδ' ὅποι.* I, 2 p. 505, 18 *πέμπουσι . . . εἰς.* 506, 5 *λήγουσιν εἰς τὴν ὄχθην.* 506, 4 *τελευτᾷ δὲ . . . εἰς.* 507, 14 *τῷ περιβόλῳ συνάπτονται.* Quamquam quod maxime aptum sit verbum pro certo affirmari nequit, tamen mihi quidem, quod inseratur, haud ineptum videtur *ἐμπίπτειν* verbum — cf. locum quem modo attuli, ubi auctor verba facit de ecclesia quadam, intra quam sunt porticus aliquo finientes, v. infra p. 55 —, propono igitur scribendum *στοαῖς πρὸς ἄρκτον ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προϊούσαις ⟨καὶ ἐμπιπτούσαις εἰς⟩ τὸ περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερόν,* quae hoc modo intellegenda sunt: porticus incidit in Nymphaeum, quod in fine porticus ei ita obstat, ut templum illam quasi excipiat. Melius res explanatur exemplo quodam allato Nymphaei in ipsa Syria reperti. cf. Publications of the Princeton University Archaeol. Exped. to Syria in 1904—1905. Division III. Section A. Part I. Ammonitis, tabulam V, qua

---

in septentriones vergit, verbis *τὰς ἀπ' ἐκείνων ἐπὶ τὸν ποταμὸν ῥυείσας.* Ex eo, quod legimus *ἀπ' ἐκείνων* (scil. *τῶν στοῶν*) *ἐπὶ τὸν ποταμὸν ῥυείσας* Nymphaeo neque ut exordio neque ut fine porticus commemorato neque Nymphaeum exordium non fuisse neque porticum in flumen ipsum decurrisse efficitur, sed auctor leviter atque obiter porticus supra accurate descriptas tangens singula non curat.

depicta est Nymphaei urbis ‚Amman', quae nominatur, restitutio, qualis ex ruinis colligitur, quae simul quo iure Nymphaeum Trinymphum appellari possit, bene docet; cf. praeterea ibid. tabulam lucis opera confectam 37 (p. 54) et descriptionem diligentissime peractam aedificii p. 54 sq. Hoc Nymphaeum ipsum quoque in fluminis ripa situm est. (v. ibid. tabulam geographicam urbis inter p. 34 et 35 insertam[1]).

CAPUT II.

De oratione pro Olympio habita.

or. LXIII, vol. IV, p. 387 sq.

Unam oratiunculam e vasto Libaniano corpore totam tractandam mihi selegi, quae inprimis arte critica exercenda mihi digna visa est, cum quod vividam prae se fert speciem tum quod multas continet quaestiones et ad textum formamque et ad res pertinentes, quarum nonnullae a me indicabuntur et quantum possunt tollentur. Neque minus id ago, ut, qua ratione et arte Libanius orationem composuerit, cognoscatur.

Anno 389 p. Chr. n. Olympius, Libanii amicissimus, mortuus est (cf. IV, p. 384 adn. 1), cuius de genere, vita, magistratibus cum Seeckius (Br[iefe des Libanius.] Harnacks Text. u. Unters. N. F. XV, 1.2), p. 223 sq. s. v. Olympius II accuratissime dixerit, hoc quidem loco disserere supervacaneum est. Ille autem vir ditissimus, cui liberi non erant (cf. IV, p. 400, 6 sq. et p. 392, 25 sq.), orationis auctorem testamento heredem scripsit, cui, ut permultis urbis viris rerum suarum partem dederet, mandavit et,

---

[1]) De Nymphaeis Syriacis nonnulla digessit O. Puchstein, Jahrb. d. arch. Inst. 1902, p. 121 sq., qui nonnulla huius modi Nymphaea se repperisse in Syria confitetur (ibid. p. 106 et 107). Idem de porticibus in templa decurrentibus verba facit l. c. p. 118.

ut verbis ex testamento quodam advocatis utar (Mitteis-Wilcken: Chrestomathie der Papyruskunde II, 2, p. 348, 10 sq.), *ὀφειλήματα ἔγγραφα καὶ ἄγραφα* reliquit. Neque deerant, qui, quod aut nihil aut parum sibi datum esset, in Olympium mortuum maledicta et convicia cuiusvis generis conferrent. Quos contra calumniatores pugnaturus hanc, de qua agimus, oratiunculam Libanius conscripsit.

Haec, quae dixi de orationis argumento, sufficiant, quoniam Libanius ipse de rebus huc pertinentibus diligenter dixit in oratione I[1]), quam scripsit de vita sua, vol. I, 1, p. 200, 17 sq.

Nunc autem ad ipsam oratiunculam tractandam transeamus. Primum inquirendum est in p. 397, 3 sq. Adversarii Olympio crimini dant, quod *ἀναξίοις τισὶν ὡς πλεῖστα* dedit. Atque Libanius ut solet in fronte pericopae adversariorum ipsorum verba affert: ‚quibusdam indignis', nam nomina ipsa adversarii enuntiare non audent. Deinde pergit his: *καὶ λέγουσι δὴ τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα. οἷς εἰ καὶ τρὶς τοσαῦτα ἐδεδώκει . . . τίς γὰρ οὐκ οἶδε τώδε τὼ ἄνδρε λιμένας Ὀλυμπίῳ γεγενημένους . . .* Verba *καὶ λέγουσι* si legimus, nomina illorum adlatum iri exspectamus ab auctore adversariorum sententiam interpretaturo, sed talia vocabula incerta adferuntur, quae his excipiuntur: *οἷς εἰ καὶ . . . κτλ.* Sic adnectere non potuit nisi certos viros spectabat, de quibus antea dictum erat. Tum ad eadem vocabula incerta referuntur haec: *τώδε τὼ ἄνδρε,* quibus verbis quin certi viri et ii antea quomodocumque designati spectentur, dubium esse non potest. Verbi *λέγειν* autem quae vis hoc loco sit, paucis exemplis illustrandum est, quo melius intellegatur, quam aliena verba *τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα* ab hoc loco sint. Usurpatur enim sescentis locis in re accuratius indicanda vel ipso nomine appellanda antea non satis indicata. cf. Aesch. Sept. 609 *οὕτως δ' ὁ μάντις, υἱὸν Οἰκλέους λέγω.* ibid. 658. Soph. Trach. 9 *μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμός,*

---

[1]) Oratio, cui inscribitur *περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης*, non a capite ad calcem continuato labore conscripta est, sed alia pars alio tempore. Ea pars, quam hic tractamus, non paulo post 389 composita esse potest.

Ἀχελῷον λέγω. Isocr. Panath. 215 ὅτι ‚σὺ μὲν πεποίησαι τοὺς λόγους', ἐμὲ λέγων. Herod. VII, 144, 1 τὸν πόλεμον, τὸν πρὸς Αἰγινήτας λέγων. [Aristot.] de mund V, p. 396a εἰ ἐκ τῶν ἐναντίων ἀρχῶν συνέστηκεν ὁ κόσμος, λέγω δὴ ξηρῶν τε καὶ ὑγρῶν. Liban. VIII, 291, 1 sq. τοὺς προγόνους δὲ αὐτοῦ (scil. Ἕκτορος) λαμπροὺς οὐκ ἂν εὕροι τις ἀπ' ἐκείνων ἃ τοὺς ἄλλους εἴωθε ποιεῖν, ἀγῶνας λέγω καὶ μάχας καὶ . . . Etiam vocula δή in verbis, de quibus agitur, premenda est, nam auctor adversariorum dicto quasi commentandi causa adiungit, quae lingua vernacula sic vertas: „und sie meinen natürlich . . ." Ergo verba τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα hoc loco ferri non posse perspicuum est. Quid iudicandum est de loco? Codicum scripturam sollicitari nefas esse videtur; nam nomina propria, quae omni ratione efflagitantur, quamquam librariorum socordia depravari possunt, tamen pro eis vocabula haec a scribis posita esse existimanda non sunt. Cum cetera omnia recta ratione procedant, censendum est auctori in animo fuisse nomina ministrorum Olympii pro τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα[1]) ponere. Etenim aut nomina memoria non tenuit, dum componit oratiunculam, aut, si tenuit per compendium illa ipsa scribere poterat, non talibus vocabulis uti. Licuit ei sane in schedis suis sibi nomina quolibet signo signare; sed qua via oratio edi potuit nominibus ipsis non insertis? Itaque hoc certissimum est hunc locum ab auctore non plane confectum esse. Quamquam ex eo, quod unus locus orationis cuiusdam non ad finem redactus est, de quaestione orationis totius confectae iudicari non potest, tamen hic locus is est, ut orationem a Libanio non satis limatam et ad edendum paratam esse suspicemur.

---

[1]) Verisimile est auctorem haec vocabula per compendium scripsisse: ὁ δεῖνα = Δ' vel Δ cf. Gardthausen: Griech. Paläogr.[2] II, p. 345 et quos affert locos. Plane alio modo eadem auctor adhibet IV, p. 74, 10 ἀλλὰ ταῦτα μὲν πρὸς τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα καθ' ἑκάστην ἡμέραν, quod recte Reiskius interpretatur (III 128 R) ‚h. e. totas noctes consumit in sermonibus, alias seriis, alias iocosis, cum hoc et cum illo . . .' cf. praeterea IV, p. 392, 15 sq.

Iam postquam inde a p. 397, 6 utrumque illum virum laudibus ornavit et quantopere Olympium dilexissent, quantum laboris suscepissent, denique quam bene de eius rebus omnino meriti essent, fuse et accurate explanavit, finem huius partis facturus haec dicit: (p. 399, 5) *οὕτως οὐ πλέον τοῦ δέοντος τῷ δεῖνι δεδωκὼς διελέγχεται μᾶλλον ἢ τοῦ προσήκοντος ἀφελών.* Ne non perspiciantur, quae hoc de enuntiato exponemus, liceat mihi lingua vernacula ad verbum vertere et *τῷ δεῖνι* illud, de quo ut recte iudicemus maxime agimus, nunc quidem non respicere, sed reddere ac si scriptum esset *αὐτῷ*: „So wird nicht mehr widerlegt, daß er ihm mehr als notwendig gegeben hat, als, daß er ihm, was ihm zukam, genommen hat.“ Quam sententiam conclusionem huius pericopae esse cum ex sententiarum nexu elucet, tum vocabulo *οὕτως*, quod hoc loco idem valet atque ‚itaque' apud Romanos, satis indicatum esse videtur. Cum luce clarius sit hoc enuntiatum non in universum dictum esse, sed ad illud, quod in fronte partis auctor posuit, adversariorum argumentum redire, *τῷ δεῖνι* ad hominem quendam, quisquis est, referatur oportet, de quo antea Libanius verba fecit. Nam tota parte quoniam de servis illis duobus Olympii agitur, in fine eos auctor neglegere non potest. Itaque *τῷ δεῖνι* eodem modo hic positum esse atque in initio partis opinamur. Quid? quod hic semel legatur, supra bis scriptum? Necesse est auctorem in fine utrumque memorare. Qua de re iudicabimus Libanium, cum exemplum oratiunculae sibi litteris consignabat, hac incerta vocula semel posita sibi ipsi suffecisse, quamquam nomina utriusque viri postea ponenda esse sibi conscius esset.

Qua re cognita efflagitari videtur, ut in dispositionem oratiunculae inquiramus. Quae ut plane perspiciatur, argumentum totius orationis ante oculos ponam paragraphis a Foerstero distinctis usus.

	§
A. Prooemium: Cur oratio mihi habenda sit. . .	1—5
1. prooemium 1. Exspectatur me orationem habiturum esse.	1—2

	§
2. prooemium 2. Meum est amicum mortuum ab adversariis et calumniatoribus tueri, quamquam illos me vexaturos esse scio.	3
3. „ 3. Quales cives se praebuerint ante mortem Olympii, quales post mortem.	4—5
B. Probatio vel refutatio. Quid habent, cur calumnientur, adversarii?	6—29
I. a) Refutat eos, qui, quod nihil acceperunt, criminantur ‚senatores' et ceteros omnes.	6—11
1. Plures sunt, quam ut omnibus aliquid dare possit.	6
2. Non bene meriti sunt de Olympio, quoniam nihil eum adiuvabant. .	7
3. Unus e calumniatoribus Olympium senatui gratias debere contendit, quod ei obtemperabat.	8
α. Libanius contra haec: Olympius senatum e vinculis servavit, ergo ei gratia debetur.	9
β. Senatus igitur Antiochenus Olympiusque pares rationes habent.	10
b) Refutat eos, qui illum in rebus agendis adiuverunt.	11
II. Contra eos, qui non satis multum sibi videntur accepisse, verba facit.	12—29
a) Ubique nunquam non Olympium reprehendunt.	12
b) Libanius refellit hos calumniatores et tuetur amici rationem.	13—14
c)[1]) Accusatores non secum consentiunt, utpote qui ante mortem illius amicos, inimicos post mortem se praebuerint. . .	15—18

[1]) De huius partis argumento vide quae exponam p. 38 sq.

§

1. Non iusta ei opprobrio dant fraudatorem appellantes. 15
2. Antea ut amicissimo ei blanditi sunt. 16
3. Testamento aperto eidem maledicunt. 17
4. Tantopere calumniatores secum consentiunt. 18

d) Adversarii: promisit nostrum cuique rem familiarem se daturum esse. Libanius autem hoc verum non esse ostendit. . 19—20

e) Olympio crimini dant, quod consulari Syriae aliisque magistratibus, quibus permultum se relicturum esse eum promisisse dicunt, paulum dedit; quod refutat auctor. . . 21—24

f) Refellit adversarios, qui eum viris quibusdam indignis plurimum dedisse contendunt. 25—29

† De fratrum, Olympii et Miccali, inimicitia, Olympii probitate, improbitate fratris. . . 30—35

BB. Contra eos disputat, qui maxime id agunt, ut amicitiam, quae inter Libanium et Olympium fuit, discindant. . . . . 36—39

1. Eos refutat, qui, ut blandiantur Libanio, Olympium ei nimis laborum imposuisse, parum divitiarum donasse contendunt. . . . . . 36—37
2. Libanius amicitiam firmissimam fuisse et fore dicit, etiamsi amicus mortuus est. . . . 38—39

C. Peroratio . . . . 40—42

1. Itaque Olympium iustissimum et candidum esse demonstratum est. 40
2. Olympius mortuus vos ulciscetur. . . . 41—42

Ad hanc dispositionem illustrandam nonnulla addenda sunt. A. 3 num recte accipiatur ut prooemii pars, dubitari potest, nam inest narratio quoque, quae saepissime hunc orationum locum obtinet. Sed cum paululum tantum διηγήσεως insit, rectius videtur particulam hanc ut προοίμιον ἐκ διαβολῆς agnoscere. Partium singularum argumenta Libanium persaepe

in fronte indicantem videmus (cf. p. 389, 7; 391, 7; 395, 3; 395, 22; 397, 3; 399, 8). Partes nonnullae proprias conclusiones habent ut B. I, dico verba p. 391, 18 sq., ubi *οἱ ἐν τῷ βουλεύειν καὶ συναγορεύειν*, senatores et causidici, revocantur, et B. II. e, dico verba p. 396, 24 sq., et BB., dico verba p. 403, 8 sq., quae melius cum antecedentibus coniunguntur. Rectius enim inciditur post *ἢ γόης* (403, 10), nam hic subsistit oratio, atque initium novae particulae significandum est v. 11 his verbis: *ἐρωτῶ τοίνυν καὶ* . . . Eodem modo *τοίνυν* in initio legitur IV p. 9, 3; 12, 6; 31, 18; 102, 7; 116, 13; 121, 9; 125, 1. Paragraphi 25—29 ideo B. II. parti adnumerari possunt, quod hoc dicentes se parum accepisse simul fatentur. Sed haec hactenus. Redeamus ad rem, quam potissimum tractamus. Libanius, dum a B. I. transit ad B. II, haec (p. 391, 23): *καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἐκ τοῦ μὴ λαμβάνειν ἐπὶ τὸ κακῶς λέγειν ἥκοντας ἀρκεῖ, τὸ νῦν εἶναι, τοσαῦτα.* Itaque exspectatur ad illos, qui *ἐκ τοῦ μὴ λαμβάνειν ἐπὶ τὸ κακῶς λέγειν* pervenerunt, auctorem reversurum esse. Neque vero usquam postea in hos invehitur neque omnino tangit. Sed dicat quispiam auctorem his quae sequuntur partibus, quamquam illos diserte non significat, tamen contra eos verba facere. Quam sententiam ut refutemus, in eas partes ipsas paulum animum advertamus oportet.

Orationem perspicue dispositam esse discimus ex partium tabula supra exarata. Atque refutatio vel argumentatio in duas magnas discernitur partes, B. I. et B. II., quibus id, quod maxime auctori cordi erat, continetur. Iis adnectuntur duae particulae, altera (§ 30—35) a me hoc signo † signata, altera BB. (§ 36—39), quae quid sibi velint quaerendum est. Prioris partis exordium idem est, quod persaepe Libanium usurpantem vidimus: primo versu argumentum indicatur hoc quidem loco transitu non facto: 399, 8 *καὶ μὴν τά γε τῆς μητρὸς οὕτως ἔσχεν.* Suspicari possis particulam cum antecedente non satis coniunctam esse, quod antea de matre nihil ab auctore dictum est. Sed hoc a more Libanii alienum non esse doceant exempla partium novum argumentum continentium et a *καὶ*

μήν eodem modo initium capientium haec: IV, 34, 11, 37, 4, 83, 16, 199, 4, 372, 5 etc. Atque nunc quidem quid particula contineat, explicandum est. Incipit ab enarratione quadam, satis diligenter instituta. Mater, quae Olympio filio maiori natu plus bonorum dederat quam Miccalo minori, illum ut hunc adiuvaret, monuit. Olympius quamquam matris voluntati obtemperavit et Miccali res valde auxit, tamen ab ingrato fratre turpissime vexatur. Atque id Libanius maxime agit, ut quantopere fratris iniuriis Olympius lacessitus sit, intellegatur, cum nihil mali in fratrem moliretur (cf. p. 400, 11. 401, 1 sq., 7 sq., 11 sq.). Sed Olympium fratri iniuriam aliquam intulisse perspicuum est. Tamen auctor Miccalum sibi ipsum poenam contrahentem fingit Gigantibus comparatis, qui quasi ipsi Iovis fulmen in se vocaverint (401, 3 sq.). Habemus ergo ante oculos purgationem Olympii, quamvis male institutam, fratris vituperationem vel, ut vocabulo rei apto utar, μείωσιν, Olympii laudationem; sed hanc omnibus fere partibus nimirum inserit. Contra quem haec exponuntur? Nemo calumniatorum diserte respicitur, verba enim 401, 8 ἀλλ' οἴεταί τις . . . κτλ. 400, 17 ἆρά γε στεφάνων . . . κτλ. in universum dicta sunt. Sed quidni ei parti, quam sequitur (B. II.), hanc particulam adnumeramus? Obstat quod nihil inest, quo cum illa coniungatur. Praeterea sint quidam, qui hanc ob causam Olympio maledixerint, qui factum est, ut maxime illi, qui parum acceperint, hoc obiurgarent? Neque fieri potest ut ad B. I. particulam hanc referamus. Quodsi ei, qui nihil acceperunt, hoc Olympio crimini dedissent et in hos refutandos rhetor hanc particulam conscripsisset, primum ad eos se reverti indicasset, ut Libanii mos est et dispositione, quae usque ad hunc quidem locum dilucida est, flagitatur, deinde aliter rem instituisset et multo prudentius et ῥητορικώτερον, ut ita dicam, criminationem refellisset. Itaque per se quamquam particulam hanc perspici et nulla coniunctione cum antecedente facta tolerari posse demonstravimus, tamen cum dispositio et rerum ordo usque ad B. II. f diligenter servatus utique turbetur, iudicandum est ante § 30 nonnulla inserere in animo habuisse

auctorem, sive quae nos ad argumentum particulae delegant et deducunt, sive alia, quae sciri nequeunt.

Iam transeamus ad particulam BB. tractandam, quam totam unam partem esse a 401, 17 usque ad p. 403, 10 (cf. supra p. 21) pertinentem inde cognoscitur, quod conclusione una (403, 8—10) utramque huius partis pericopam auctor complectitur: *παύσασθε δὴ* 1) *μετὰ τοιούτων μοι προσιόντες ῥημάτων* [his significantur § 36—37, cf. 401, 17 sq. eadem fere verba in fronte posita] *καὶ* 2) *πειρώμενοι κινῆσαι τὰ τοῦτο* (sic scribendum cf. infra p. 41) *οὐ πεισόμενα* [quibus indicantur § 38—39, cf. p. 402, 11 sq. verba in fronte huius particulae scripta]. Alterum accedit, quod de iisdem adversariis in utraque pericopa agi paulo infra demonstrabitur. Atque veram refutationem ante oculos nos habere ex eo elucet, quod adversarii non modo respiciuntur sed etiam vehementer refelluntur. At non nisi incertis vocabulis nuncupantur eo modo, ut qui adversariorum spectentur cognosci non possit. cf. p. 401, 17 *εἰσὶ τοίνυν οἳ προσιόντες . . . κτλ.* De eisdem Libanius p. 402, 11 haec: *ἀλλ' ὅμως οὕτως ἔχοντος τοῦ πράγματος ἤλπισάν τινες ἔχθραν ἐμποιήσειν . . . κτλ.* Quibus ex locis quamquam adversarii qui sint, omnino clarum non fit, tamen paulo certiores de eis reddimur hoc loco p. 401, 21 *οὐ γὰρ καὶ τὰ πρὸς σὲ συνέχεε δίκαια κτλ.* Unde cum adversarios se iniuria affectos esse ab Olympio confiteri comperiamus, de iisdem agi perspicuum est, qui antea satis notati sunt. Eandem ad sententiam perveniemus, si scriptum viderimus p. 402, 23 *οἱ δὲ . . . ἦλθον . . . πάνυ τὴν ἐμὴν ψυχὴν νομίζοντες ἐοικέναι ταῖς αὐτῶν ταῖς μικραῖς, ταῖς νοσούσαις, ταῖς δούλαις ἀργυρίου.* Quaecumque hac in parte de adversariorum moribus scripta legimus, utrisque maxime apta sunt, et eis, qui, quod nihil acceperant, Olympium vituperabant, et eis, qui, quod non satis accepisse sibi videbantur, non contenti erant. Neque video, quo iure in illos solos hoc dictum esse iudicari possit. Alterum argumentum hoc nobis praesto est: Quo animo hanc partem scripserit quaque mente hoc orationis loco collocaverit, dubium esse non potest respicienti, quid paragraphis 38—39

continineatur. Inest laudatio cum amici mortui tum Libanii ipsius. Atque adversariorum obiurgationem (§ 36—37) ideo in fine oratiunculae adfert, ut hac refutatione adversarios quam maxime repellat et, quam maligni et corrupti sint, ostendat. Huic refutationi adnectit non sine arte laudationes illas, quae a rhetoribus ita afferri solent, ut iis, qui audiunt — hic non iudices, nam in multitudine Libanius hanc orationem habiturus vel potius publici iuris facturus erat — denuo adversarium omnium hominum sceleratissimum, eum autem, quem defendant, optimum esse persuasum sit[1]). Iam cum quid orator efficere studuerit hac particula ante epilogum ipsum posita cognoverimus, perspicuum est hoc loco agi non posse nisi simul de omnibus adversariis. Sed quoquo modo res se habet, nemo, qui disponendi rationem perspexerit, hoc negare potest: si adversariorum altera factio his verbis spectaretur, utique necesse esset, ut se ad illos refutandos redire adnotaret.

Denique, ut, quae adhuc effecerimus, complectamur, constat primum Libanium unum locum plane imperfectum reliquisse, quem postea ad finem redigere in animo habebat, deinde ea, quae denuo se tractaturum esse promittebat, intacta praeterisse, tum dispositionem oratiunculae perspicue et diligenter institutam finem versus paulum solvi. Quae argumenta satis valere puto, ut affirmari possit, Libanium orationi summam manum non imposuisse. Sed conemur, si his argumentis addi possint alia non ex orationis totius statu, sed ex genere dicendi, singulis particulis, hiatu tracta.

In universum genus dicendi et orationis tenorem a ceteris Libanii orationibus scilicet eis, quas hac in quaestione comparare licet, non longe distare iudicandum est. Ceterum orationis sermonem, quae periodis satis multis et grandibus Libaniique more confectis ornata est, non satis perpolitum esse ut putemus, nihil suadet nisi pauci loculi, quos breviter tangam: p. 391, 12 *ὄντες ἔχοντες*, ubi participia in eundem finem

[1]) Quamquam non plane huic rei apta est digressionis definitio, quam Cicero dedit de inv. I 97 sq. et de orat. II 80, tamen ad hanc te delegare hac in disputatione non supersedeo.

exeuntia duo iuxta posita sunt a rhetore, etsi inter se non arte coniuncta. Alter locus extat p. 392, 22, ubi *νῦν μέν* ... *νῦν δέ* particularis, quae apte vertuntur ‚modo ... modo', adnectitur *νῦν δέ*, cui vis est ‚nunc autem'. Haec sane pauca sunt. Ille locus, quem modo tetigimus, legitur in particula B I b (§ 11), quam non satis retractatam esse non solum hoc loco, sed etiam aliis evincitur. p. 391, 8 scripta legimus haec: *πρῶτον μὲν ἐκεῖνο λέγω*, neque tamen *δεύτερον* vel tale aliquid sequitur neque omnino alterum argumentum affertur. Quae inde a. v. 12 sequuntur non nisi probationem illius primi argumenti praebent. Iam quae sequuntur partis sententiae, quo modo nexae sint, quaeramus. Libanius postquam iuris consultos, qui in rebus agendis Olympium adiuverunt, ut refutaret, acute monuit ceteros, qui quodcumque vendunt, non ab eis, qui emunt, petere solere, ut sibi legatum scriberetur, haec profert: *ὁ δὲ καὶ διὰ τούτων τι κερδάνας οὗτος ἄλλην ἔχει τοῦ κέρδους πρόφασιν*. Hoc primum perspicuum est, *ὁ δὲ* voculis Olympium illis, de quibus modo verba fecit, opponi. *τούτων* autem cum non ad causidicos referri possit, quos insequenti versu ipsos adloquatur (v. 17 *ὑμῖν*), referri non potest nisi ad *τὰς τιμάς*, quae antecedunt. Olympium igitur aliquid negotiatum esse discimus. Quocum convenit, quod eum in Phoenicia praedia habuisse scimus (v. Seeck. Br. p. 224, s. v. Olympius II). Atque sententia quidem haec est: Quod vos — causidicos spectat — iniuria postulatis, ut praeter mercedem testamento rerum mortui participes fiatis, hoc cadit in Olympium. Libanius enim e rhetorum more ita rem instituit, ut dictis adversariorum inversis eius, quem defendit, mores laudando amplificet. Olympius autem *ἄλλην ἔχει τοῦ κέρδους πρόφασιν*, quam illi non habent; liceat sequentia quoque exscribere *ἀλλ' ἔστιν ὃ μὲν ὑμῶν μόνον, τῷ δὲ καὶ ἔργον τι πέπρακται, περὶ οὗ νῦν οὐ καιρὸς λέγειν*: illi lucrum solum habent, quod negotiis comparatur, hic autem re praeclare gesta talem se praestitit, ut, si in testamento alius ut inscriberetur postularet, cui quodcumque non sine commodo suo vendidit, non nisi iustum sibi peteret. Nam talis sententia

supplenda est. Iam postquam sententiam satis absconditam enucleavimus, perspicuum esse duco hunc locum ab auctore non satis perpolitum manu egere, quae rem dilucidiorem reddat. Atque de re ipsa, cuius tractandae hoc loco occasionem esse negat, postea verba fieri non videmus. Sed cum verbis *περὶ οὗ νῦν οὐ καιρὸς λέγειν* diserte pronuntiaverit, hanc rem hac in oratione locum non habere, hinc argumentum trahi non potest. Eadem igitur in pericopa brevissima tria argumenta obvia sunt, quibus eam non ad finem redactam esse evincitur.

Unus mihi oratiunculae locus restat, qui paucis tractetur p. 396, 24 sq.: utrumque nefas est et calumniatio iudiciorum et quam de Olympii promissis tulerunt sententia. Quamquam hoc enuntiato hanc orationis partem apte finiri negari non potest, tamen ad antecedentia non recte adnecti cognoscitur. Antea enim narratur Olympio, ut fecerit fraudem, fraude opus fuisse alioquin rerum suarum non compoti (cf. infra p. 39 sq.). Itaque *γάρ* in loco suo non esse intellegitur. Deest igitur sententia, quam inserturus fuisse auctor iudicandus est, si orationem perfecisset et perpolivisset.

Atque nunc quidem pauca de hiatu in oratione obvio[1]). Locis, quibus vocalium concursus occurit, conlectis et perpensis haec praecepta auctorem secutum esse cognoscimus: *τε δέ γε* partim elisa littera *ε* ante vocalem leguntur, partim non elisa, siquidem codicibus in talibus rebus fides habenda est. Hiatus cum post brevem vocalem admittatur, post longam et diphthongum diligentissime evitatur exceptis voculis *καί*, *μή* similibusque et articuli formis *οἱ αἱ τῷ*. p. 396, 17

---

[1]) De hiatu Libaniano cf. H. de Rohden: de mundi miraculis. (Diss. Bonn. 1875) p. 39 sq. Hic vir doctus, qui de hiatu verba fecit, p. 36 adn. 8 se hac de re in commentatione quadam egisse confitetur, quam philosophorum ordo Bonnensis praemio Welckeriano ornavit. Sed publici iuris facta esse non videtur. Utinam esset, neque enim extat recentiorum virorum doctorum liber, unde de hiatu, quod verum sit, disci possit. De Benseleri libro cf. quae Nordenus iudicavit. Neue Jahrb. 1913 p. 646 adn. 1.

hiatus gravissimus, qui extare videtur, quod in pausa loquendi est, fortasse toleratur[1]). Alium locum hiatu depravatum, p. 398, 6 *ἐρώτα ὅ*, Wilamowitzius hoc libellum perlegens ingeniose emendavit *ἔρωτα* scribendum et ad verba antecedentia *δοκιμαζόντων καὶ δεικνύντων* re obiecta carentia trahendum ratus. Atque interpungendum esse censet hoc modo: *ἔρωτα · ὅ* . . . p. 402, 9 *φιλτάτῳ ἔστι* coniectura Foersteri hiatus effectus est, codices recte *δὲ τό* (cf. infra p. 40). p. 403, 9 *τούτῳ οὐ* corrupta sunt; emendationem, ut puto, certam infra p. 41 proponam. Eaedem ergo in hiatu observando regulae per hanc orationem regnant atque per alias Libanii orationes. Neque usquam totius orationis in haec praecepta peccantem Libanium deprendimus. Nonne haec eis, quae de oratione imperfecta effecimus, plane obsunt? Minime. Animadvertendum enim est hanc orationem a sene septuaginta fere quinque annorum conscriptam esse, qui a puero omne studium in artem dicendi consumpserat et tam diu hiatus praecepta observare consueverat, ut in ipsa concipienda oratione verba statim recte selegisse et disposuisse putandus sit. Atque idem dicendum est de eo, quod, cum orationem multis de causis ad finem non redactam esse demonstratum sit, tamen satis pauci loci inveniuntur, quibus oratio non satis perpolita nos offendat.

Sed transeamus ad codicum memoriam perscrutandam, cum hac in argumentatione plane ex re esse videatur quaerere qua via oratio, quam ab auctore ipso editam non esse iam verisimillimum, ne dicam certum est, nobis tradita sit. Atque tribus quidem codicibus nobis oratiuncula servata est (cf. IV, p. 384 sq.): Barberino II 41 sc. XV (B), Vaticano gr. 1940, qui ut huius apographon nihili est, Ambrosiano B. 69 sc. XV. (Am.), qui initium orationis tantum continet; tres locos excerpsit Macarius Chrysocephalus, qui quantam auctoritatem habeat in textu constituendo, primum temptemus. p. 388, 7: Quamquam uterque codex *εὐπορήσαιμεν* habet,


---

[1]) Aliter Wilamowitzius, qui *οὐδεμίαν ἡγοῦμαι* legere mavult.

tamen singularis formam editorem recte in textu posuisse censemus, quod antea non nisi hoc numero usus Libanius de se locutus est. v. 3 *ἐπηνούμην σιωπῶν*, v. 4 *φαινοίμην.* Confer praeterea v. 8, ubi *καθιστάμενος* recte scripsit Foersterus, quamquam in codicibus legitur *καθιστάμενοι.* Quid Macarius, qui inde a vocula *ἐν* (v. 7) usque ad *φέρειν* (v. 9) verba affert? Non ad verbum exscribit, sed suo arbitrio enuntiatum mutat, verborum collocatione sollicitata, *ὅσοι* vocabulo inserto, pro *φέρειν* posito *φέρουσιν*, denique ita Libanii sententia utitur, ut mutatis permultis in universum dicta esse videatur et *γνώμη* efficiatur. Iam Macarium testem integrum non habendum esse, sed summa diligentia et prudentia in illo advocando opus esse apparet. At transeamus ad ceteros locos. Alter locus et ipse sententiam quandam continet: p. 394, 17 sp., quem in *πάντων ἀνθρώπῳ ῥᾷον* restituendum esse infra p. 37 sq. fuse explicabo. Eodem modo in textum invehitur, cum pro *πάντων* scribat *παντὶ* et collocet post *ἀνθρώπῳ,* quod rectum in codice suo legisse putandus est. *ῥᾷστον* a Macario coniciendo effectum esse, infra l. c. apparebit. Restat tertius locus p. 398, 18 sq.: *γάρ* omisit Macarius, quod sententiam per se stantem efficere voluit; *ἰσχυρότερον σημεῖον* codice B. exhibetur, *ἰσχυρότερον πρὸς ἀγάπην* apud Macarium legitur. Cuius lectio ideo accipi non debet, quod codex, cuius auctoritatem plus valere quam Macarii his quos tractavimus locis cognovimus, sententiam integram et perspicue enuntiatam praebet. Quae vertenda est: „Omni consanguinitate mores melius indicium sunt“ scilicet amoris vel tale aliquid, quod hoc in sententiarum contextu facillime suppletur. Si codicis lectione spreta testis lectionem acciperemus *πρὸς ἀγάπην,* certe scribere deberemus *ἰσχυρότερόν* ⟨*τι*⟩. Locus enim, quem Foersterus restituit, tolerari posse non videtur, quoniam *ἰσχυρότερον* solum, quamquam Graecum est, tamen ferri non potest, *πρὸς ἀγάπην* si adiciuntur. Sed Herwerdenus Lex Gr. suppl. l. c. s. v. *αἷμα* Foersteri ratione probata locum adfert, dum *αἷμα* hoc loco vim vocabuli *συγγένεια* habere monet. Atque mihi locus in promptu

est, qui *πρός ἀγάπην* hoc in contextu non contra sermonem Graecum positum esse tibi persuaderet, dico Menand. Epitr. 129 sq. *τοῦτο γὰρ ἰσχυρὸν οἴεταί τι πρὸς τὸ πρᾶγμ' ἔχειν*, nisi obstaret, quod *ἀγάπη* vocabulum, quod apud Christianos auctores usitatissimum est, apud antiquos numquam fere occurrit, apud Libanium non inveni. Itaque *πρὸς ἀγάπην* a Christiano illo scriptore Byzantino appositum esse constat, qui adicere debebat, quod his verbis non appositis sententia, quae intra sententiarum nexum bene perspicitur, ex orationis continuatione erepta intellegi non poterat. Eodem ergo arbitrio sibi textum formavit quo locis antea tractatis. *γάρ* versus 19 Macario auctore Foersterus in textu posuit; falso, puto; primum enim eadem particula in versibus tribus, qui deinceps leguntur (p. 398, 18, 19, p. 399, 1), a Libanio posita esse non potest. Deinde orationem *γάρ* particula hoc loco non inserta, qua Macario nimirum opus erat, rectius et melius procedere perspicuum est. Iam cum qualem textus testem Macarius se praebeat, exposuerimus, quaeramus, quae ratio intercedat et inter codices ipsos et qua ratione Macarii codex cum illis coniunctus fuerit. Codices B et Am. corruptelis congruunt his: p. 388, 6, de qua infra disputabo p. 37, et p. 388, 7 et 8, de qua modo verba feci. Fortasse adiungi potest p. 387, 10, ubi codices *μή* pro *μηδέ* exhibent (cf. infra p. 36). Itaque codices eiusdem originis esse concludendum est. Neque tamen loci desunt, quibus diversas lectiones praebeant p. 387, 10, 388, 1, 388, 9. At cum B codicem omnino corruptum esse sciamus, recte iudicare nobis quidem videmur, has diversitates scribae culpa irrepsisse, qui parum diligenter librum exararet. Codicem autem, quo Macarius usus sit, eiusdem fontis esse ac codicem B ex his locis discimus: p. 398, 19 et 20. Foersterum pro *πρός* rectissime scripsisse *τόν* et *ἐγκαταβλάψαι* recte mutasse in *ἂν καταβλάψαι* perspicuum est comparatis II 88, 22, quod ipse attulit in apparatu, et VII 310, 3 et nonnullis aliis locis. Pauculis autem locis Macarius a codice B recedit p. 388, 9 et 394, 17. Quibus omnibus perpensis si codicum necessitudinem, quam-

qam qui congeri possunt loci pauci non sufficiunt, tamen ante oculos ponere audemus, fortasse hac stemmatis imagine codicum affinitates recte indicantur.



Sed quoquo modo res se habet, hoc pro certo statuisse nobis videmur duos qui extant codices et Macarii exemplum ex eodem fonte fluxisse. Atque nunc quidem codices ipsi, quibus oratio nobis servata sit, quales sint, quaeramus. Ambrosianus B 69 (cf. IV p. 307 sq.) continet Aristidis orationes Libaniique paucas, ‚monodiae de Nicomedia' finem et monodiam de Apollinis templo compositam, quas librarius ante Aristidis monodiam, quae est de Smyrna, non sine consilio inseruisse videtur. In folio 340 initium huius oratiunculae reperitur, quam totam exarare in animo habuisse librarium inde cognoscitur, quod folii 341 maximam partem vacuam reliquit. Tum sequuntur aliae Aristidis orationes. Barberinus autem quem locum inter Libanii codices obtineat, Foersterus I, 1 p. 24 his verbis illustrat: „Codex quem qui conscripsit exemplaria undique conquirens maxime operam dedit, ut corporis instar operum Libanianorum fieret . . ." Oratio igitur cum neque in codices ‚corporales' neque in ‚eclogarios' recepta sit, sed his codicibus solis aetatem tulerit, plane alio modo et via tradita esse putanda est atque cetera rhetoris scripta. Itaque sententia quam supra aliis de causis tulimus, qua orationem non a Libanio ipso editam esse diximus, codicum, quae hanc oratiunculam exhibent, memoria a ceteris orationibus satis diversa non modo non refutatur, sed valde commendatur. Atque quamquam oratiunculam e Libanii scriniis ab homine quolibet fortasse post auctoris mortem editam esse conicere haud ineptum videtur, tamen qua via hoc scriptum ab illa

editione usque ad illum codicem pervenerit, quem supra codicum nostrorum Macariique fontem fuisse statuimus, ignoramus.

Restat ut de epilogo altero (p. 403, 18 sq.) verba faciamus, qui quantum differat ab epilogis passim inventis, statim videbimus. In fine enim oratiunculae auctor adversarios monet, ne impune se mortuos calumniari posse putent, quod, qua iniuria afficiantur, defuncti scire nequeant. Eos enim, qui post illos diem supremum obeant, nuntiare istis omnia, quae post mortem gesta sint. p. 403, 21 *τοῖς δ' εἰσὶν ἄγγελοι τῶν τῇδε λεγομένων καὶ πραττομένων οἱ μετ' ἐκείνους ἀπιόντες*. Satis mira superstitio, cuius exempla mihi quidem neque in auctorum antiquorum libris occurrerunt, neque a viris doctis recentioribus tacta esse videntur. Idem Libanius profert IV 128, 3 sq. . . . *εἰ δ' οὖν καὶ φθαίη* (scil. *μεταστὰς ὁ σὸς πατήρ*), *τῶν ταῦτ' ἀγγελούντων οὐκ ἀπορήσει. οἱ γὰρ ἀεὶ καταβαίνοντες ἐκεῖσε τὸ τῶν ζώντων πρὸς τοὺς ζῶντας ποιοῦσι πρὸς τοὺς τεθνεῶτας*[1]). Postquam mortuos ulturos esse calumniatores minatus est, his pergit: *δύναμις δὲ αὐτοῖς παρ' αὐτοῦ τοῦ τεθνάναι μείζων καὶ μηνίσαντες ταχέως ἠμύναντο*. Quam superstitionem cum apud veteres semper viguisse non ignorem — qua de causa etiam lammina, in quibus dirae scriptae sunt, in mortuorum sepulcris conduntur, ut horum opera validissimae dirae fiant. cf. R. Wuensch: def. tab. p. XXI — tamen unum exemplum, dico Gregorii Nazianzeni, Libanii aequalis, epitaphion 48 (Migne vol. 38, p. 35) totum apponere liceat, ad quod postea redeundum erit:

Χάζεο, χάζεο τῆλε· κακὸν τὸν ἄεθλον ἐγείρεις,
Λᾶας ἀνοχλίζων, καὶ τάφον ἡμέτερον·
Χάζεο. Μαρτινιανὸς ἐγὼ καὶ ζῶσιν ὄνειαρ,
Καὶ νέκυς οὐκ ὀλίγον ἐνθάδε κάρτος ἔχω.

---

[1]) Alter locus ad alterum in testimoniis adferri debebat. Nam hic (p. 128, 1 sq.), qui prave codicibus exhibetur, a Cobeto emendatus est, qui quamquam ei ille locus (p. 403, 21 sq.) non praesto erat, tamen scite et recte pro *ταῦτα λαλούντων*, quod in omnibus codicibus legitur, *ταῦτ' ἀγγελούντων* scribendum esse censuit. Homines post mortem apud inferos cum amicis antea fato ereptis convenire sentit auctor VIII p. 261, 2 *χωροῦσι δὲ* (scil. *οἱ δίκαιοι*) *παρὰ φίλους τοὺς ἐκεῖ* (scil. *ὑπὸ γῆν*) *θεούς*.

Hoc enim consensu cognito via nobis patefacta est, qua perveniemus ad recte interpretandam eam partem epilogi, quae reliqua est. A verbis *πάνυ τοίνυν πιστεύω* infinitivi nonnulli pendent, quorum unusquisque execrationum formulam quandam exprimit vel circumscribit. Singula execrationis cola praeter unum quamquam sescentis exemplis illustrare possum, tamen pauca sufficiant sive ex *πολιτικαῖς ἀραῖς* sive e defixionum tabellis sive ex exsecrationibus in sepulcris inscriptis advocata, quorum formulae utpote eiusdem mea quidem sententia originis, etsi earum historia nondum explicata est, tamen hac in quaestione secernantur non oportet[1]). p. 403, 25: *πιστεύω τοῖς μὲν ἔχουσι παῖδας ἀπολεῖσθαι τοὺς ὄντας, οἷς δὲ οὐκ εἰσίν, οὐδὲ ἔσεσθαι.* Confer: Dittenberger, Syll.[2] 891, 15 *καὶ εἴη . . . μὴ παίδων γονή.* I. G. III, 2. 1417, 5 . . . *ὅστις ἢ καθέλοι . . . κακῶς τε ἀπολέσθαι αὐτοὺς καὶ γένος.* Bullet. de corr. Hell. 1893, p. 272, 11 *εἴ τις δὲ ἐπιβουλεύσει . . . τέκνων ἀώρων περιπέσοιτο συνφορᾷ.* cf. Kaibel, Epigr. Gr. 376, 9. Contrarium si quis faciet, promittuntur multa bona et contraria eis, quae antea scripta sunt. Dittenb. Syll. 891, 25 *πληθύοι αὐτῷ οἶκος παίδων γοναῖς καὶ καρπῶν ἀπολαύσεσιν,* quibuscum apte comparatur Lib. VIII 259, 20, qui de iustis viris in iustitiae encomio haec: *τούτοις καὶ ἡ γῆ φέρει καρποὺς καὶ γυναῖκες τίκτουσι.* Sententiae autem, quae sequitur, 403, 27 *γυναῖκας* usque *θυγατέρων* 404, 3, exempla mihi non praesto sunt. Deinde ad verba *εἰς δὲ τὸ προσαιτεῖν κατενεχθέντας τοῦ δώσοντος ἀπορήσειν* apte apponuntur (Dittenb. Syll. 891, 10) *τοῦτόν τε θεὸς πατάξαι ἀπορίᾳ . . . καὶ εἴη ἀφανῆ τὰ κτήματα αὐτοῦ.* Similia in defixionum tabella 97 (Wuensch l. c.) . . . *καὶ ἀφανῆ αὐτῷ ἅπαντα γένοιτο.* Tum legitur (p. 404, 4): *διὰ δὲ νοσημάτων καὶ μακρῶν καὶ πικρῶν καὶ μετ' ὀδυνῶν γένοιτ' ἂν ἐκ τῶν τοιούτων ἀποθανεῖσθαι.* cf. I. G. III, 2. 1417, 4 *ὅστις ἢ καθέλοι . . . κακῶς . . . ἀπολέσθαι αὐτούς . . .* Dittenb.

[1]) cf. E. Rohde, Psyche[2] II p. 341 adn. 2. G. Glotz: La solidarité de la famille, p. 569 sq. E. v. Lasaulx: Der Fluch bei Griechen und Römern. Stud. d. kl. Altert. p. 159 sq. Quibus viris doctis non pauci debentur locorum a me hac in re adlatorum.

Syll. 890, 16 ... *ἀλλὰ ἐκρειζωθήσεται παγγενεί, πᾶσι τοῖς κακοῖς πεῖραν δώσει καὶ φρείκῃ καὶ πυρετῷ . . . καὶ ὅσα κακὰ καὶ πάθη ἀνθρώποις γίγνεται.* Hoc loco afferre malim, quod etiam ceteris colis exemplum praebet aptissimum. Kaibel l. c. 406, 13: *ὀρφανὰ τέκνα λίποιτο, χῆρον βίον, οἶκον ἔρημον, ἐν πυρὶ πάντα δάμοιτο, κακῶν ὑπὸ χεῖρας ὄλοιτο,* qua de formula non raro obvia confer quae adnotabant Heberdeyus et Wilhelmus (Reisen in Kilikien) ad nr. 272[1]). Denique restant haec Libanii verba:

ταῦτα ἔσται,
ταῦτά τις ὄψεται,
ταῦτα παιδεύσει τοὺς ἄλλους . . .,

quae per anaphoram pronominis disposita sententiis execrationum formulas repetentibus vel adumbrantibus non sine pondere, ut finem ad animos movendos efficacem reddant, applicantur. Neque hoc quidem Libanius confecit sine execrationum exemplo. cf. Dittenb. Syll. 490, 23 post enumerationem malorum in fine execrationis haec: *καὶ ὅσα κακὰ καὶ πάθη ἀνθρώποις γίγνεται, ταῦτα ἔστω* (*γιγνέσθω* C. I. G. III, 2. 1423, 12) *τῷ τολμήσαντι . . . κτλ.* Eiusdem usus vestigium latere videtur hoc loco: Andoc. de myst. 126 . . . *ἦ ἐξώλη εἶναι καὶ αὐτὸν καὶ τὴν οἰκίαν, ὥσπερ ἔσται.* Notandum est anaphoram et *πυκνότητα κομμάτων* vehementi execrationum orationi maxime

[1]) Liceat mihi pusillam coniecturam adnectere. Titulus Lydius quidam, quem publici iuris fecerunt Keilius et Premersteinius (Bericht über eine Zweite Reise in Lydien, Wien 1911), 157, locum continet, quem se certo emendare non posse editores non infitiantur. Hoc quidem patet ante oculos nos habere monumentum sepulcrale a domino dominaque vernae cuidam dedicatum. Cuius tituli auctorem cum linguae Graecae satis peritum non fuisse constet — cf. v. 3, ubi *ἐπέθηκεν* pro pluralis forma scripsit; v. 8 *ὤνη πανώλη* incidit fortasse *καί* omisso — editoribus adstipulandum est censentibus lapidarii errore versus 5 et 6 depravatos esse. Qui quod proposuerunt emendandum, sagacius est quam ut rectum esse possit. Equidem verba *επιηνφιλοθρεψαντικαιδιων* corrigere malim *ἐπι (= ἐπεὶ) ἦν φιλοθρέψαντι παιδίον,* ita ut nihil nisi *κ* in *π* mutetur. Exemplum, quod adminiculum sit, mihi praebet simillimus titulus (Inscr. Perg. ed. M. Fraenkel) 607, ubi item de *θρέμματι* quodam agitur, quod et ipse *παιδεῖν* (= *παιδίον* v. adn. ibid.) vocabulo appellatur. *Φιλοτρέφειν*

aptam esse. Neque raro hanc figuram adhibitam invenimus in exsecrationibus saepissime vocabulis *μή (μήτε)* vel *οὐ (οὔτε)* in capite commatum repetitis. cf. Aesch. Ctesiph. 110. Ditt. Syll. 891[1]).

Consuetudinem execrandi eos, qui sepulcra laederent, Libanii aetate in omnibus fere imperii provinciis viguisse constat. Constantius enim et Julianus et qui sequebantur imperatores praecepta dederunt, quibus sepulcrorum sanctitatem a violatoribus tuerentur (cf. cod. Theod. IX, 17)[2]). Cum in Syria ipsa easdem exsecrationes in titulis exstitisse nobis testetur e. g. Kaibel ep. Gr. 448 neque defixionum tabellae ibidem repertae desint (cf. Audollent: def. tab. p. 21 sq.), Libanium formulas cognovisse consentantaneum est. Neque

---

verbi ipsius quamquam exemplum non in promptu est, tamen *φιλοθρέμματος*, quod legitur in titulo quodam Pergameno (Mitt. d. arch. Institut. XXIV) p. 206; — non 205, ut Herwerdenus lex. suppl. s. v. *φιλοθρέμματος*, quod recte et apte vertit ‚alumnorum (vernarum) amans' — satis efficit, ut *φιλοτρέφειν* hac vi usurpari posse censeamus. Sed obstat, quod singularis forma legitur *φιλοθρέψαντι*, quamquam arte grammatica pluralis requiritur. Sed si auctorem tituli eundem *ἐπέθηκεν* insculpsisse cogitaveris, hoc offensioni non erit. Wilamowitzio coniecturam meam non comprobanti quod, si verbum ex *φίλος* et *τρέφειν* componitur, recta ratione efflagitatur *φιλοτροφεῖν*, opponi potest a Lydis Graecae linguae parum peritis tale verbum confici potuisse, praesertim cum *φιλοθρέμματος* vocabulum in titulo Pergameno scriptum legamus. Ipse autem corrigendum esse censet *ἐπὶ ἣν φίλο(ν) θρέψαντι ⟨ἀντὶ⟩ παιδίων*. — Vocabulum *σαλεύσῃ*, quod Heberdeyus et Wilhelmus l. c. nr. 94, 7 suppleverunt, non comprobatur Br. Keilio, qui (Hermes. 43. 1908, p. 533) sibi *σαλεύειν* hac vi adhibitum non occurrisse dicit. Exemplum habeo et idem in Cilicia repertum: Le Bas-Waddington Asie mineure 1499: *μηδὲ ὀστοῦν μου σαλεῦσαι ἐκ τοῦ μνημαδίου*, quod fortasse illis viris doctis in supplendo adminiculum erit.

[1]) cf. ‚non . . . non . . . non' et eadem in anaphora disposita utpote vehementiae signa Verg. Aen. VI 47 sq. Eandem figuram Libanius scite adhibuit in fine orationis XVII vol. II p. 221, 16 sq.

[2]) Monumenta sepulcralia laesa tangit Libanius his VIII 308, 20 *ἐπειδὰν γὰρ ταφῶσιν* (scil. *οἱ πλούσιοι*) *ἀξίως τῆς τυχῆς, πολλοὺς ἔχουσιν τοὺς οὐκ ἐῶντας ἀκίνητον μένειν τὸν τάφον, ὥστ' ἀνάγκη τὸ σῶμα ῥίπτεσθαι καὶ δευτέρας δεῖσθαι ταφῆς*. cf. ibid. p. 309, 14 sq., 313, 18 sq.

πολιτικὴν ἀρὰν ignorabat auctor, qui in oratoribus Atticis habitabat. Epist.[1]) 242 haec leguntur: *καὶ δῆτα εὔχομαι τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, γῆν τε αὐτοῖς καρπὸν ὅτι πλεῖστον διδόναι, καὶ ἀέρα μένειν ἐν τοῖς μέτροις, καὶ γυναῖκας τίκτειν ὅμοια γονεῦσιν* . . . quibus verbis aperte repetit claram illam imprecationem Aesch. Ctesiph. 110 sq. Verba oratoris (111) *μήτε γυναῖκας τέκνα τίκτειν γονεῦσιν ἐοικότα* paene ad verbum exprimit (cf. praeterea Bull. de corr. Hell. 27. 1903, p. 107 B, 14 sq. Aeschinis locum cum Libaniano iam comparavit Weidnerus in commentario ad Ctesiphonteam facto). Quantopere viguerint Libanii aetate imprecationes in monumentis mortuorum inscriptae inde elucet, quod Gregorius Nazianzenus episcopus nonnulla epigrammata composuit, quae idem continent atque tituli illi, sive ne quis manus inferat monentia sive exsecrantia sive simul utrumque. cf. epitaphium 40, 8 (Mign. vol. 38 p. 31) et ibid. 41; 43 et sq.; epit. 48 supra exscripsi. Nonnulla Gregorii epigrammata sunt, quae fere ad verbum exsecrationes titulorum sepulcralium pedestri oratione conscriptas transferunt in poetarum sermonem ut epigr. 49 (ibid. p. 109).

Μηκέτι πηκτὸν ἄροτρον ἀνὴρ ἐπὶ γαῖαν ἐλαύνοι
μὴ πέλαγος πλώοι, μὴ δόρυ θοῦρον ἔχοι . . .
(v. 5) *ὅπποτε καὶ τοῦτόν τις ἐμὸν περικάλλεα*
τύμβον . . . κτλ.

Perspicue anaphora illa servata adumbrantur formulae hae: *τούτῳ μήτε γῆν καρπὸν φέρειν μήτε θάλασσαν πλωτὴν εἶναι* . . . (cf. e. g. Ditt. Syll. 888, 6). Iam cum Libanium rem non absconditam et vetustam prompsisse cognoverimus, sed eiusmodi, ut nemo eorum, qui orationem audiebant, tenorem non perspexisse putandus sit, quaerendum est, quo iure hac in oratione talia enuntiare potuerit. Satis argute et ingeniose rem instituisse auctorem iudicamus; nam adversarii, qui testamenti praeceptis non contenti calumniis et criminationibus Olympii memoriam contaminaverant, voluntatem viri mortui

[1]) Libanii epist. ed. I. C. Wolf. Amstelodami 1738.

non veriti, fere idem fecerunt, quod monumentorum sepulcralium violatores. In eos, quasi sacrilegi essent, auctor invehitur exsecrationum oratione usus. Formulas autem neque integras repetit neque omnino imprecationem veram enuntiat, sed solum nonnulla enuntiata secundum execrationum morem expressa apte adiungit ad ea, quae antea locutus est, dico sententiam, qua mortuos ipsa morte nocendi validissimos fieri sentit, verbis, unde sententiae sequentes regantur, *πάνυ τοίνυν πιστεύω* insertis, quorum vis exsecrantis cuiusque in memoria et corde, dum imprecationem facit, latet. Nemo enim qui devovet ea, quae imprecatur, futura esse non sperat[1]).

Quis est, qui neget hunc epilogum a ceteris satis diversum optime idem efficere, quod epilogi esse Aristoteles dicit: (rhet. III 19, p. 1419b, 10 sq.) . . . *πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως, . . . καί . . . εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι*?

Quamquam huius orationis textui restituendo praeter Foersterum Croenertus (Gött. gel. Anz. 1909, p. 657 sq.) et P. Maasius (DLZ. 1912, p. 1894 sq.) studium navaverunt, tamen mihi hac de oratione commentanti liceat nonnullos locos arte critica tractare.

p. 387, 10 *μηδέ,* quod dubitanter scribendum proponit Foersterus in apparatu, textui inserere non audacius videtur. Amicus mortuus olim summos labores suscepit, ut Libanium

---

[1]) Adnotare mihi liceat celeberrimum extare titulum Mopsuestiae, in urbe Ciliciae, inventum (Le Bas-Waddington: Asie min. 1499) ubi Musaeus quidam a fratre, cui agros colendos commiserat, deceptus fameque consumptus in monumento sepulcrali fratrem, fraudatorem impium, exsecratur una cum iis, qui sepulcro manus admoturi sunt. Qua de inscriptione E. Ziebarth (Pauly-Wissowa, RE VI 2, p. 2771): „Sie verbindet in einzigartiger Weise den üblichen Grabfluch, der sich gegen eine Verletzung oder Entweihung des Grabes richtet, mit einem Rechtshandel aus dem Leben des Verstorbenen." Neque non memorabilis hac in dissertatione videtur (Heberd. et Wilh. l. c.) nr. 123, ubi femina quaedam Aba ad mariti testamentum delegat, quicumque legit, quo non nisi Abam hoc sepulcro condi iubeatur.

adiuvaret, et ille, si ne oratione quidem — *πόνον* et *λόγῳ* opponi perspicuum est — gratiam referret, nefas contraheret.

p. 387, 11 sq. in eandem sententiam incidi ac Croenertus (l. c. p. 663). Virgula non post *αἰσχρόν* (v. 13), ut Siebenkeesium secutus Foersterus, sed post *γράψειν* ponenda est. Cum enuntiata ab *εἰ μέν* et *εἰ δέ* incipientia eadem ratione constituta esse perfacile cognoscatur, post *ὑπειληφότες* levius interpungendum est. Sententiam, ut plane perspiciatur, per cola et commata dispositam suppletis eis, quae ex silentio supplenda sunt, exscribam:

ὃν (scil. *λόγον*) *εἰ μὲν οἱ λοιδοροῦντες οὐκ ᾤοντο ἔσεσθαι,*
γνώτωσαν οὐκ ὀρθῶς ὑπειληφότες,
εἰ δὲ τὰ δίκαιά με ποιοῦντα γράψειν (scil. *λόγον ᾤοντο*),
αἰσχρὸν (scil. *ἐστίν*) *χείρω με . . . ἐπιδειχθῆναι.*

p. 388, 4 sq. *βοήθεια* inseruit Foersterus, Croenertus (l. c. p. 664) *ἤ* exsecari iubet. Dubitantem me, num huius an illius viri docti rationem sequerer, Wilamowitzius docuit ante *πρὸς τοὺς κατηγοροῦντας* interpungendum esse. Quo modo sententia restituta *ἤ* voculam cum Croenerto tollendam esse elucet.

p. 388, 19 sq. Sententia sic procedit: putabam secum ipsos illos consensuros esse; at illi — — interrumpit orator sermonem ira compressus, ut validissimis verbis sibi opus esse demonstret. Tum orationem aptam invenisse sibi videtur. ‚Si per totam Olympii vitam eum criminati essent, etiam partim iusti, partim non iusti' — apte vertatur: sogar teils mit Recht, teils . . . nam nunc minimo iure criminantur — minus audacter ei maledixissent. Itaque et Foersteri ratio, qui *ταῦτα* ante *τά* inserit et Croenerti (l. c. p. 664), qui *καί* delere mavult, futilis, codicis lectio recta est.

p. 389, 20 *ἐφειλκύσαντο*, quod codice exhibetur, a mutationibus recte Croenertus l. c. defendit; eiusdem verbi similis usus occurrit I, 1 p. 131, 7 . . . *ἐπιδείξεων* . . . *οἵων* . . . *ἐφέλκεσθαι νέους*.

p. 394, 17 *εἰδότες ὡς πάντων ἀνθρώπων ῥᾷον ζῶντι τὸν οὐ ζῶντα προπηλακίσαι*. Sic codex. *ζῶντι* forma efflagitatur,

ut scribamus *ἀνθρώπῳ*. Plura ut mutentur necesse non est. ‚Facilius omnibus rebus homini viventi est...' Neque maiore iure Foersterus hunc locum sollicitavit VIII, p. 194, 10 *εἰ δὲ οὐδὲν τοὺς ἁλισκομένους ἐξαιτήσεται παρ' ὑμῶν, πῶς οὐ πάντων ἀτοπώτερα πράξετε ... κτλ.* Sic qui soli extant codices Va La, nam ceteri hoc loco deficiunt. Quam Macarius praebet, scriptura nihil valet. cf. quae supra de eo dixi.

p. 395, 1: Eius particulae, quae incipit a p. 393, 4, sententiarum nexus hic est: Olympio adversarii non ea opprobrio dant, quae dare iustum est. Quod si facerent, ferendum esset; minime vero tolerari potest, quod fraudatorem impium eum appellant. Hunc fraudatorem olim coluerunt summa diligentia, ornaverunt clarissimis nominibus (p. 393, 18 *τοῖς καλλίστοις αὐτὸν κοσμοῦντες ὀνόμασι τοῖς τῶν ἡμιθέων*), testamento rescisso turpissimis vocant (p. 394, 8 *ὁ λυμεών, ὁ ψεύστης ... κτλ.*). Quas sententias non sine arte coniunctas et oppositas esse perspicuum est clariusque intellegetur perpendenti tibi ea, quae sequuntur. Contrarium cum contrario verbo coniungitur (ibid. v. 12 sq. *ὁ αὐτὸς οὖν ἄνθρωπος καὶ πονηρὸς καὶ χρηστὸς καὶ θεοῖς ἐχθρὸς ⟨καὶ φίλος⟩ καὶ ... κτλ.*). Sic Libanius adversariorum mores describit. In fine pericopae, mortuus amicus si resurgeret, quid facturi essent calumniatores facete exponit. Futurum esse, ut perterriti adularentur illum reversum atque supplicarent. Quarum deliberationum quasi summam adiungit hanc: *τοσαύτην ἔχουσι πρόνοιαν τοῦ συνάγειν ἑαυτοῖς.* Quae ad verbum vertenda sunt: „Tantopere student sibi conciliare (scil. illum)." Quod aptum sententiis esse non negarem, nisi obstaret, quod indicativi formam verbum *ἔχουσι* praebeat. Libanius enim Olympium ex Orco redeuntem fingens recte indicativo cum *ἄν* coniuncto utitur, quo opus erat. Qui fit, ut hic indicativi formam usurpet vocula *ἄν* non addita, ubi eadem quae antea adhibere debebat? Itaque corruptelam qualemcumque subesse iudicandum est. Quae tandem conclusio eis, quas perlustravimus, cogitationibus apta est? Iam se obfert mutatione facillima quod restituatur vocabulum, quo recepto sententia, quae flagitatur, effecta est. Scribe

συνᾴδειν, iam verba *τοσαύτην ἔχουσι πρόνοιαν τοῦ συνᾴδειν ἑαυτοῖς* praebebunt veram particulae conclusionem et summam. Neque deficiunt exempla huius usus velut hoc Platonis: Prot. 333a *οὐ γὰρ συνᾴδουσιν οὐδὲ συναρμόττουσιν ἀλλήλοις* vel Polyb. I 15, 9 *ταῦτα δὲ συνᾴδειν ἀλλήλοις οὐδαμῶς δύναται.* Eadem fere sententia etsi aliis verbis enuntiata Libanius utitur in eadem oratione iisdem de adversariis disserens p. 388, 19 *ᾤμην μὲν οὖν συμβάσης τῆς τελευτῆς αὐτοῖς τοὺς ἀνθρώπους τούτους ὁμολογήσειν καὶ συμβαινούσας οἷς ἔπραξαν φωνὰς ἀφήσειν.* Wilamowitzius in idem se incidisse adnotat.

p. 395, 4 typothetae errorem ut corrigamus, scribendum est in adnotatione III 370, 20 R. *ἐν*, quod ante *ὑμῖν* inserendum dubitanter proponit Foersterus, recte inseri Croenertus demonstrat (l. c. p. 664) comparatis Dem. or. 19, 193 et or. 11, 15.

p. 396, 9 *ἐξεμεσάντων* mendosum esse ratus Foersterus *ἐξομοσάντων* fortasse rectius scribi censet. Contra recte Herwerdenus l. c. s. v. *ἐξεμέω* locum sanum esse ostendit collatis locis his: Liban. I, 1 p. 252, 15 *κἂν ἐξέλθῃ τῆς ἀρχῆς, μικρόν τι τοῦ παντὸς ἐξεμέσας τὸ πλέον κατέπεψε.* Arist. Ach. 6. Equ. 1148. Itaque locus sic accipiendus est: ‚Non differo ab illis, qui a me damnati sunt et — me iudice vel auctore — evomuerunt', scilicet lucra iniusta, quae devoraverant.

p. 396, 22 sq. *καλῶς* codice exhibetur, *κακῶς* emendavit Foersterus. Nonnulli Olympio crimini dant, quod consularem Syriae fefellit, ut suas res servaret et illum, ne iniuria se afficeret, impediret. Atque defendens amicum mortuum Libanius haec: „die Sache erforderte Betrug und daß er ihn (scil. *ἄρχοντα*) mit leeren Hoffnungen täuschte." Quae sequuntur verba non satis intelleguntur. *ἤ* si post sententiam talem legitur, idem valet atque ‚alioquin', *κακῶς* ergo cum Foerstero necessario scribendum est. Quamquam verba *κακῶς εἶχε τὰ αὐτοῦ* (sic codex) perspici et verti possunt: „Es stand schlecht um seine Angelegenheiten", tamen *διακεῖσθαι* verbum quid sibi velit nescitur. Ne pro infinitivo explicativo accipiatur, obstat quod huius modi infinitivum apud Libanium non

inveni. Deinde haec interpretatio verborum collocatione commendari non videtur. Qua de causa confugiendum est ad emendandum. Scribe *ἢ κακῶς εἶχε τὰ αὐτοῦ διοικεῖσθαι.* Idem *ἔχειν* verbi usus occurrit eiusdem orationis p. 388, 2 et passim. *διοικεῖσθαι* vocabulum Reiskius noster, qui verborum vim cum omnium tum Demosthenicorum sagacissime enucleare potuit, sic interpretatur (Indices in. Dem. s. v. p. 164): „Ex animi sui sententia aliquid gerere, constituere, praesertim machinari callidis, clandestinis, malitiosis artibus cupita consequi." Quam vim huic loco aptam esse, quis est qui neget? Haec duo Demosthenis exempla attulisse satis habeo: or. 8, 13 *μετὰ πλείστης ἡσυχίας ἅπανθ' ὅσα βούλεται Φίλιππος διοικήσεται.* or. 44, 38 *ἢ τὸν πρὸ τῆς τοῦ δικαστηρίου γνώσεως οὕτως ἀδίκους πλεονεξίας διοικούμενον.*

p. 397, 16 sq. *μᾶλλον* inseruit Foersterus. Sententia quin comparativa sit quamquam non dubium est, tamen hac vocula opus non esse permulti loci Libaniani testantur, quibus *μᾶλλον* etsi exspectatur omissum est. Nihilominus sententia plane perspicitur. cf. VIII 286, 14 *ἀνδρὸς γὰρ ἦν, οἶμαι, μὴ πικροῦ καὶ ἀνιαροῦ καὶ τοῖς θηρίοις ἐοικότος μετὰ τῆς μηδὲν ἠδικηκυίας στρατιᾶς σῶσαι τὸν λελυπηκότα ἢ διὰ τὴν πρὸς ἐκείνην ὀργὴν πάντας ἀπολέσθαι.* Locos, quos affero, ceteros omnes suppeditavit Foersterus sive in testimoniis sive in apparatu critico: VII 508, 19 sq.; III 464, 13 *ἔτι τοίνυν οὐκ ἐκείνων ἢ τούτων αἱ λύσεις.* IV 123, 3 sq.; ibid. 268, 8 sq.; VIII 352, 19.

p. 398, 8 Quod *πλοῖα διαφέρειν* Graece dici non possit, Croenertus (l. c. p. 665) *πλοῖ τε καὶ πόλεμοι* scribendum esse censet. Quam recte emendaverit, testatur eiusdem orationis p. 389, 18 *οὔτε πλοῦν πολύν τε καὶ χαλεπὸν ὑπὲρ τῶν ἐκείνῳ συμφερόντων ἤνεγκαν.*

p. 402, 9 Foersterus pro *τῷ φιλτάτῳ* num scribendum sit *τῷ φίλτρῳ* dubitans insequenti versu *δὲ τό* in *ἐστί* mutat. Quam contra mutationem, quae vel ea de causa recta esse non potest, quod hiatus gravissimus oritur — cf. quae supra p. 26 sq. de hiatu hac in oratione obvio dixi —, Croenertus

disputat l. c. p. 665 sq. rectissime et ingeniosissime locum sanum esse ratus. Quam ad argumentationem Croenerti, cum hic exponere longum sit, delegari sufficiat.

p. 402, 16 *μείζονι τούτῳ* verba quid sibi velint ignoratur. Ne *τούτῳ* vocabulo Olympium spectari putemus, obstat, quod *οὗτος* pronomen non nisi in adversariis significandis, ut rhetorum est, usurpatur. Itaque *μείζονα τούτῳ,* quod Siebenkeesius scribendum proponit, falsum est. Rectissime locum emendavit Maasius l. c. p. 1897 sic: *μεῖζόν τι τοῦτο.*

p. 403, 8 sq. Quae codice exhibentur *τούτῳ οὐ* num in *τούτοις* mutanda sint, Foersterus dubitat. Atque *οὐ* quidem utique tenendum est, de *τούτῳ* cogitandum. Quo vocabulo auctor verbum quoddam eorum, quae antecedunt, spectet necesse est. Cum ad *μετὰ τοιούτων μοι προσιόντες ῥημάτων* referri non possit, unum, quod hoc pronomine spectetur, *κινῆσαι* reliquum est. Vocabulis *τὰ πεισόμενα* quid significaverit, dubium esse non potest, dico amicitiam et amorem Olympii. Iam cum *πεισόμενα,* quod aut ut verbi *πείθεσθαι* aut *πάσχειν* futurum accipi potest, ad *κινῆσαι* referendum esse cognoverimus, hoc loco huius verbi formam agnoscendam esse perspicuum est. Itaque *τούτῳ* corruptum et, cum accusativus efflagitetur, in *τοῦτο* mutandum est[1]). Atque recte nos corrigere testatur enuntiatum eodem modo formatum p. 395, 13: *οὐχ ὁ μὲν νέος καὶ . . . καὶ τρέπεσθαι μᾶλλον εἰωθὼς ἢ τοῦτο πάσχειν.* Simul vocalium concursum, qui voculis *τούτῳ* et *οὐ* gignitur, sustulimus, quo locum mendosum esse per se satis evincitur.

Denique sequuntur nonnulla a Wilamowitzio[2]) in oratiunculam emendandam conlata, quae, ut adnotavit, fere repeto:

p. 389, 26 *λαβόμενος αὐτῶν* tolerandum esse ratus quae sequuntur verba *σὺ δὲ τοῦ χάριν ἠξίους* (sic. cod.) *τῶν*

---

[1]) Libanius ergo *παραφράζει* notum illud *ἀκίνητα κινεῖν.*

[2]) cf. praeterea p. 27 adn. 1; p. 27; p. 33 adn. 1; p. 37. Ceterum hunc virum doctissimum non omnia argumenta hoc in capite obvia probare non infitior.

Ὀλυμπίου λαβεῖν adeo requirit: „Worauf beruhte dein (vor dem Testament bestehender) Anspruch?"

p. 390, 7 rectus ordo ἠδικῆσθαί ⟨τις⟩.

p. 391, 13 ⟨οἱ⟩ τἄλλα πωλοῦντες.

p. 393, 7 ⟨τῶν⟩ ante τοιούτων γραμμάτων inserendum censet, cum vertendum sit non „durch Bestimmungen der Art" sed „durch das so beschaffene Testament".

p. 396, 22 φενακισμὸν ⟨δ'⟩ ἀπῄτει.

p. 397, 16 παριόντες cod., πράττοντες Foersterus; scribendum παρέχοντες.

p. 399, 4 ⟨ὁ⟩ νομοθέτης.

CAPUT III.

De Bemarchio rhetore.

Priusquam exponamus, quid de viro, cuius nomen huic capiti praefiximus, effecerimus, nonnulla ad Libanii vitam pertinentia perquirantur oportet, ut quo anno alter alteri occurrerit, enucleemus et stabiliamus. Quam digressionem facere non auderemus nisi ex ea aliquid fructus quamvis pusilli nos capturos esse speraremus.

Libanium anno 314 p. C. n. in lucem editum esse G. R. Sieversius (Das Leben des Libanius) p. 207 sq. ita demonstravit, ut dubitatio oriri omnino nequeat. Dum decimum quintum annum agit, ad studia rhetorica se applicare incipit (v. I, 1 p. 82, 6 τεττάρων δή μοι τουτονὶ διελθόντων τὸν τρόπον ἐνιαυτῶν πέμπτου τε ἐπὶ τοῖς δέκα ἡπτόμην καί με εἰσήρχετο δριμύς τις ἔρως τῶν λόγων). Post quinque annos fulmine ictus est (l. c. p. 84, 21 πέντε ταῦτα ἔτη ἦν ἁπάσης μοι τῆς ψυχῆς ἐκεῖσε τετραμμένης . . . κτλ.). Quem locum falso interpretantem Sieversium deprendimus l. c. p. 15 adn. 36, qui

auctorem quinque annos interesse inter studia incepta et iter Athenas factum enarrare ratus haec verba a reliquis huc pertinentibus, quae statim tractabo, dissentire sibi videri confiteatur. Atque eundem errorem profert p. 43 adn. 2. Deinde hic vir doctus, quomodo dissensus tolleretur, explicare conatus in eandem opinionem incidit, quae, si omnes locos huc spectantes accuratissime inspexerimus, ex ipsis auctoris verbis eruetur. Sieversius l. c. p. 43 adn. 2 sic: „Vielleicht regte sich der Wunsch, nach Athen zu kommen, in ihm, als er 20 Jahre alt geworden war, und die Erfüllung ward ihm erst später zu Teil.“ Sed rem ipsam aggrediamur. Loco supra exscripto (I, 1 p. 84, 21) Libanius nihil indicaturus est nisi, quando fulmen sibi capitis laborem iniecerit. Post cladem illam[1]) in studiis habitare non desiit (cf. p. 85, 23 sq.). Pergit enarrare, quomodo cupiditas Athenas eundi in animo orta sit (p. 86, 3 sq.) et quae facta sint, dum Athenas iter susciperet. p. 86, 16: *τῆς φήμης δὲ τῶν πόνων οὓς ἐπόνουν, κατεχούσης τὴν πόλιν καὶ τῆς γε ἐν ὥρᾳ σωφροσύνης . . . κτλ.* usque ad p. 87, 4 *γεμούσης δὴ τοῦ περὶ ἀμφοῖν τοῖν ἀγαθοῖν λόγου τῆς πόλεως ἁπάσης.* Simillima de se praedicantem rhetorem videmus IV 56, 10 *τέτταρα τοίνυν ἕτερα δύο μὲν ἐμὲ καὶ εἴκοσιν ἐποίει, Φασγανίου δὲ τὸν στέφανον . . . οὗτός με ἐπὶ δεῖπνον καλεῖ καὶ ᾡχόμην ἤδη τε ὢν ἐν δόξῃ τινι καὶ τῷ μᾶλλον σωφρονεῖν*[2]). Hoc loco quot annos natus tum fuerit refertur et idem praedicatur atque illo; itaque gloriam, quamquam,

[1]) Ex illis duobus locis (82, 6; 84, 21 sq.) Libanium fulminis ictum cum pateretur, undeviginti annos natum fuisse concluditur. Sed vicesimum primum eum egisse, cum hoc fiebat, ep. 639 docemur: *τὸ δὲ τῆς κεφαλῆς κακὸν ἀρχαῖον ὄν, (εἴκοσι γὰρ ἔτη γεγονὼς ἐπλήγην . . .)* Estne dissensus an non? Cum utroque loco non annorum et mensium certus numerus indicetur, sed temporis spatium quod fere fuerit, describatur, Libanius a se ipse dissentire non putandus est.

[2]) *ᾡχόμην* recte interpretatur Sieversius l. c. p. 43 adn. 2. Haud raro Libanium collaudasse continentiam suam et gloriam, quam iuvenis prae se ferebat, inde apparet, quod ei crimini data est: I, 1 p. 243, 4 *ἐν τοίνυν τῇ νεότητι διεφύγομεν ἃ μὴ πάνυ ῥᾴδιον, . . . ἠνώχλησα οὖν ἐγὼ τῇ μνήμῃ τῆς σωφροσύνης;*

quo anno parta sit, non explicatur, tamen fere eodem tempore comparatam esse verisimillimum est, quod p. 86, 16 significatur. Itaque cum ex eis, quae leguntur IV 56, 10, tum ex illis, quae auctor narrat p. 86, 3 sq., colligitur, Libanium usque ad annum vicesimum tertium Antiochiae versatum esse. Patruus maior Panolbius (cf. Seeck, Br. p. 281), qui matris precibus obsecutus iuvenem Athenas petentem Antiochiae retinet, moritur, dum minor, cui nomen Phasganius est (cf. Seeck, Br. 234 sq.), Olympia facit (anno 336 p. C. n.). Paulo post Libanius Athenas profectus est, postquam Phasganius matri anxiae persuasit, ut filium mitteret. Libanio eodem anno paulo post Olympia celebrata, quae fieri solebant aestate (cf. Siev. p. 207), Athenas profecto, cum tres annos ibi peregisset, munus magistri, etsi oblatum, non commissum est (I, 1 p. 94, 14 sq.). De anno certiores reddimur his verbis: ibid. v. 21 *τῆς ἰσορρόπου δὲ αὐτοῖς εὐτυχίας ἀπέλαυον εἰς πόνους ἔτη πέντε καὶ εἴκοσι γεγονώς*[1]). Deinde quarto anno Libanius Athenis peracto (cf. p. 95, 15 *γνώμην δὲ εἶχον ἕτερα τέτταρα ἔτη τοῖς ἠνυσμένοις προσθεὶς οὕτως Ἀθήνηθεν ἀπελθεῖν*) commovetur a Crispino amico, ut eum Heracleam in patriam reversurum comitetur. Profiscuntur amici et per Graeciam, Macedoniam, Thraciam Constantinopolim iter faciunt et inde Heracleam[2]). Ex eo, quod terra iter peragunt, non apparet

---

[1]) Sieversius p. 48 adn. 29 de loco quodam agit, qui eodem spectat quo hic. v. I, 1 p. 243, 11 *ἢ ὡς ἀγόμενος Ἀθήνησιν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἐπὶ τὸν θρόνον ἔφυγον;* (scil. *ἐμνημόνευσα*). Cum codicibus omnibus exhibeatur *Ἀθήνησιν*, ea, quae hac de re Sieversius coniecit, refellere supervacaneum est. Sed nonnullis sententiam commentari liceat. Recte vertendum est: „an me (a proconsule) Athenis in cathedram vocatum fugisse?“ Hoc rhetoris *ψεῦδος* est, nam proconsul consilio destitit (cf. p. 95, 3 sq.), Libanius, quod amicus iter fecit, Athenis exiit. Ipse de itinere haec (I, 1 p. 100, 8): *τὴν τῷ φίλῳ μὲν ἐν κοινωνίᾳ τῆς ἐξόδου δεδομένην χάριν.*

[2]) Libanius et Crispinus in urbibus, per quas iter est, orationes habent (ibid. 97, 11 sq.). Hermes eis favet et Musae dicendi artis tutores. Verbis *ἀπὸ Πλαταιῶν ἀρξάμενοι χρῆσθαι οἷς εἴχομεν* indicatur Plataeis primum *ἐπίδειξιν* suam illos ostendasse, qua Athenae

illos anni tempore navi vehi prohibitos esse, sed curru vehuntur, quod in urbibus declamaturi erant. Crispini rebus confectis (p. 98, 9) Libanius Athenas reversurus in portu Constantinopolitano a Nicocle Lacedaemonio (cf. Seeck, Br. p. 221 sq.) invitatur, ut magistri artis rhetoricae munus suscipiat. Ille pollicitus se accepturum esse, quod oblatum esset, clam Athenas vehitur, ne iusiurandum laedat, quod, antequam Athenas reliquit, se dedisse confitetur[1]. Postquam maris tempestate vehementissima se in summum periculum raptum esse enarravit, his pergit: p. 100, 2: *ἐλθὼν δὴ καὶ οὐκ ἐπιορκήσας ἐπ' ὀχήματος δικύκλου χειμῶνος ἀρχομένου τῶν τῆς ὥρας ἀνεχόμενος ἀνιαρῶν ἤλαυνον, ὅπως αὖθις λόγῳ προσθείην ἔργον.* Haec una temporis significatio adminiculum praebet, ut quantum temporis itinere consumptum sit et quando iterum Libanius Constantinopolim venerit cognoscatur. Nam hoc ut pro certo stabiliamus potissimum agimus. Atque supra quidem statuimus aestate ineunte anni 336 Libanium Antiochia profectum quattuor annos Athenis versatum iter inisse. Itaque cum itineris finem hieme ineunte Libanius fecerit, neque enim plus temporis uno anno itinere consumptum esse potest, adducimur, ut eodem anno, quo quattuor annos Athenis peractos numerabat, h. e. anno 340, iter ingressum esse et perfecisse censeamus. Dubitanter ad eandem sententiam se pervenisse Sieversius confitetur (l. c. p. 50, adn. 3). Eo cum venit Libanius, Constantinopolis celeberrima urbs erat, altera Roma, ex quo Constantinus imperator eam praeclarissimam

---

laudibus ornabantur. Pro certo dici potest in omnibus urbibus eandem orationem eos declamavisse, ut rhetorum mos illis temporibus erat. Cf. de Bemarchio quid referat Libanius p. 103, 13: *λόγον ἕνα μέχρι Νείλου δεικνύων.* Amicis in Macedonia orator se obtulit, ut certamen facerent. Faciunt, illum, qui omnes oratores turbabat, vincunt (p. 97, 15 sq.). Quod in certamine tali laudem tulit, Constantinopolitani sibi postulaverunt ab imperatore Cappadocem quendam rhetorem (p. 100, 14 sq.).

[1]) ‚Le sentiment est noble, mais l'explication paraîtra peu satisfaisante' iudicat hac de re eleganter et recte E. Monnier (histoire de Libanius, première partie) p. 54, qui magno iure Libanium vocat ‚un habile arrangeur'.

reddidit (cf. Seeck: [Geschichte des Untergangs der antiken Welt], III p. 421 sq.).

Liceat mihi brevissime quae gesta sint abhinc enarrare, ut denique quo tendimus perveniamus. Nicocles cum Libanium, ut doceret pueros, oraret, se ei statim quadraginta discipulos daturum esse pollicitus nihil antiquius habebat, quam ut rhetorem Cyzicenum quendam profligaret, cui, ut munus illud donaretur, ipse auctor fuerat. Qui orator docebat iuvenes Bemarchii loco, qui tum aberat (I, 1. 99, 4). Dum autem Libanius Athenas fugit et retro venit, Cappadox quidam locum occupat (ibid. p. 100, 14). Quo casu Libanium valde percussum adiuvat Dionysius quidam Siculus ita, ut paulo post suo periculo docens et gloria et discipulorum numero utrumque rhetorem vincat[1]). Quibus rebus apte adiungitur enarratio rerum ab ipso auctore facta p. 103, 4: *οἰμώττουσι δὴ τοῖς ὧδε πεπραγμένοις ἔρχεται Βημάρχιος σύμμαχος μηνὶ ἑβδόμῳ.* Quodsi recte vitae annos persecuti Libanium anno 340 exeunte Constantinopolim venisse consuimus, his ex verbis, cum nimirum septem menses transierint Libanio hac in urbe versato, anni 341 p. C. n. prioribus sex mensibus Bemarchium redisse cognovimus.

Quo de rhetore Suidas s. v. *Βημάρχιος: Καισαρεὺς, ἐκ Καππαδοκίας, σοφιστής. Οὗτος ἔγραψε τὰς Κωνσταντίνου τοῦ*

---

[1]) Quanto dolore illi duo affecti sint, quod eius res magis magisque creverint accuratissime describere Libanius non supersedet, vir malignus et maxime aliorum rebus adversis delectatus et exultans. p. 102, 14: *τὼ μὲν δὴ σοφιστὰ ἐπενθείτην, ὁ μὲν οὐδὲ ἀνθήσας ἀρχήν, ὁ δὲ ἀπηνθηκώς* e. q. s. Quae verba cum falso acceperit Sieversius p. 51 adn. 6, paucis commentari liceat. Uter est *ὁ μέν,* uter *ὁ δέ?* Hoc primum monendum *ἀνθεῖν* verbum hoc loco non significare ‚vivere', sed ‚florere', quantum ad artem dicendi et gloriam attineat. Alter omnino nondum florere Constantinopoli coeperat, nam nuperrime in urbem receptus Cappadox ille munus inierat. Atque priusquam *εἰς τὸ δύνασθαι* perveniret, h. e. adipisceretur auctoritatem et potentiam arte dicendi, obscuratus est Libanii gloria propagata. Alter, Nicocles, quod defloruerat, lugebat, nam postquam Libanius civium animos sibi conciliaverat, is, qui antea multum valebat, valere desiit.

βασιλέως πράξεις ἐν βιβλίοις δέκα, μελέτας τε καὶ λόγους διαφόρους. (Eadem apud Zonaram in lexico leguntur; cf. etiam Fragm. hist. Graec. ed. Mueller IV p. 3 et J. Flach: Hesychii Milesii onomatologi quae supersunt, p. 38[1]). Quod Suidae verbis fidem non habeamus, non est. Aliter Bernhardyus iudicat, qui adnotat sibi de Constantino Magno falli videri Suidam, cum eum Constantii vitam celebrasse Libanius doceat (I, 1 p. 103, 4 sq.). Cuius viri docti de dubitationibus hoc loco leviter tactis infra verba faciam (v. p. 51 adn. 1).

Denique ad eam partem Libanii orationis devenimus, qua quis fuerit Bemarchius et qualis, strenue enarratur, quam totam hoc loco afferre opus est, ut, quae insunt, multa eruamus et commentemur. p. 103, 4 *οἰμώττουσι δὴ τοῖς ὧδε πεπραγμένοις ἔρχεται Βημάρχιος σύμμαχος μηνὶ ἑβδόμῳ, μάλα δὴ τὸν Κωνστάντιον ᾑρηκὼς ἀνὴρ καὶ τῶν περὶ ἐκεῖνον τοὺς ἀμυήτους ψόφῳ τε καὶ κτύπῳ παρανόμων ῥημάτων δόξαν ἐπὶ λόγοις ῥωμαλέου λαβὼν φίλοις τε τοῖς ἀπ' ἐκείνων ἐτετείχιστο τῶν*[2]) *χρόνων, δεινοὶ γὰρ δὴ οἱ κύβοι καὶ τὰ μέχρι μέθης συμπόσια φιλίας ἰσχυρὰς κεράσαι*[3]). *διέβη μὲν δὴ τὸν πορθμὸν κυδιόων*

[1]) Quaestio movenda est, unde Hesychius, ad quem Suidae caput redire constat, de Bemarchio notitiam hauserit. Quaerenti mihi hac de re Georgius Wentzelius, vir harum rerum peritissimus, liberalissime respondit videri Hesychium ex bibliothecis ipsis scriptorum talium scientiam sibi comparasse. Quibus ex bibliothecis? Nempe ex earum urbium bibliothecis, in quibus litterarum studia vigebant, quarum in numero fuerunt Caesarea Cappadociae, patria Bemarchii rhetoris, et Byzantium et ceterae. Quod rhetor Constantini *πράξεις* decem libris enarravit, mirandum non est. Eustochius rhetor, ipse Cappadox (v. Suidas s. v.), *τὰ κατὰ Κώνσταντα τὸν βασιλέα καὶ ἀρχαιολογίαν Καππαδοκίας* conscripsit. De quo sophista cf. Paul Maas: Zu den Beziehungen zwischen Kirchenvätern und Sophisten. I. Sitz. d. Berl. Akad. 1912, p. 995 adn. 2.

[2]) *τῶν* vocula cum apud Foersterum, qui, quae ante eum habuerunt editiones, accuratissime adnotare solet, neque in textu legatur neque in adnotatione curetur, apud Reiskium autem extet commentariolo non addito et apud F. Morellum (Libanii opera tom. II p. 16), reposui ut errore omissum.

[3]) Qua in sententia ad *Βημάρχιος* nomen, duo adiunguntur participia *μάλα . . . ἀμυήτους* et *ψόφῳ . . . λαβών*, quae particula coniun-

τε καὶ ὑψοῦ κάρη ἔχων κρότῳ τε ἐπηρμένος καὶ οἷς εἰργάσατο χρήμασι, λόγον ἕνα μέχρι Νείλου δεικνύων τόν τε ἐναντία τοῖς θεοῖς τεταγμένον ἐγκωμιάζων, αὐτὸς θύων θεοῖς, διδάσκων τε καὶ διηγούμενος, οἷον αὐτῷ τὸν νεὼν ἐγεῖραι Κωνστάντιος. Hoc in universum praemonendum est, inimicum malignum de inimicissimo referre, cuius verbis nos non diffidere nefas est. Itaque si diligenter perpendimus, haec restare videntur, quae vera sunt. Bemarchius studium Constantii et eorum qui illum comitabantur Christianorum[1]) *(ἀμυήτους)* sibi conciliaverat, gloriam eximie dicendi nanctus improbis orationibus, scilicet Christianis gratissimis. Utrum hoc loco auctor eandem, quae paulo post commemoratur, orationem significet an aliam, quae ipsa quoque Christianorum religionem sapiat, pro certo dici non potest. Atque Christianis amicis erat munitissimus. Et tum quidem revertit tumidus successu et gloria, quam sibi pepererat oratione una, quam ad Nilum usque ostentaverat. Quae si recte accipimus hoc nobis refertur: *ἐπίδειξιν* quandam declamitavit — hoc ex *δεικνύειν* concluditur — per urbes iter faciens eodem modo quo vidimus supra Libanium et amicum, in qua inerat Christi encomium *(τόν τε ἐναντία τοῖς θεοῖς τεταγμένον ἐγκωμιάζων*[2]) et ecphrasis ecclesiae cuiusdam Christo dedicatae, quam Constantius extruxerat. Quam

---

gente non interposita iuxta locata videmus. Quae sequitur sententia *τε* vocula ad antecedentem eodem modo adnectitur ac p. 102, 11 *δόγματα τε ἐγράφετο* ... Post *τοῖς* Reiskio excidisse videtur *μιαροῖς* vel *δυσσεβέσιν* vel *ἀθέοις* Foerstero comprobante. Sed iam antea Christiani significati et contemptim nominati sunt (*ἀμυήτους*), ita ut recte intellegere videamur, verba *τοῖς ἀπ' ἐκείνων τῶν χρόνων φίλοις* si accipimus: amicis, quos olim sibi comparavit Bemarchius, sive quando Constantinopoli versabatur Constantius (anno 338 cf. infra p. 49), sive quando orationem illam, de qua statim disputabo, habuit. Itaque nihil inserendum videtur.

[1]) De Christianis, qui circum imperatorem erant, cf. Seeck: Gesch. IV, p. 29 et. app. 392.

[2]) Similiter Christi nomen pungit de Juliano ad veteres deos reverso verba faciens: II p. 20, 2 *ἀλλ' εὐθὺς τὴν κηλῖδα διέρρυψε καὶ τοὺς ὄντας* (scil. *θεούς*, quod supplendum est ex *περὶ τοῦ θείου* [v. 1]) *ἀντὶ τοῦ δοκοῦντος ἐπέγνω πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἡγεμόνι φιλοσοφίᾳ χρησάμενος.*

orationem Bemarchius postea Constantinopoli in urbe ipsa recitat, ut Libanium devincat (cf. p. 104, 7 *ἧκεν ἀναμαχούμενος τὴν ἧτταν τῷ τὸ πολὺ χρυσίον αὐτῷ πεποιηκότι λόγῳ*). Hoc premendum est Bemarchium Christianum non fuisse, sed deorum veterum cultum servasse (cf. infra p. 57 sq.). Quem rhetorem eundem fuisse, qui ecclesiam a Constantio Antiochiae celebratam oratione descripserit et laudibus ornaverit, Sieversius l. c. p. 50 adn. 4 dubitanter conicit, cuius viri docti opi natio utrum vera an falsa sit, nunc quidem quaeramus.

Constantino anno 337 p. C. n. mortuo (cf. Seeck, Gesch. IV p. 26) tres filii imperatores conveniunt Viminacium, in urbem Moesiae, anno 338 (v. Seeck ibid. p. 41), unde Constantius Constantinopolim profectus est, ut episcoporum res turbatas restitueret et sedaret (ibid. p. 52), ubi mensibus Julio et Augusto fuit (ibid. p. 403 sub 52, 2). Quibus rebus perfectis non recta via, sed iter per Armeniam deflectens, ut huius terrae pacem restitueret (ibid. p. 65, 31 sq.), Antiochiam venit (p. 403 et p. 412 sub 65, 31), ut ecclesiam a patre Constantino inchoatam dedicaret (p. 54, 9 sq.). Confer, ne nullum afferam Socr. hist. eccl. II, 8 (Migne, vol. 67 p. 196) *κατασκευάζει* (scil. *Εὐσέβιος*) *οὖν σύνοδον ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας γενέσθαι, προφάσει μὲν τῶν ἐγκαινίων τῆς ἐκκλησίας ἣν ὁ πατὴρ μὲν τῶν Αὐγούστων κατασκευάζειν ἤρξατο . . . κτλ.* Cuius rei causa episcopi multi in urbem convenerant, qui ab imperatore invitati occasione consilii instituendi data usi sunt. Atque mihi quidem *ἐγκαίνια* ecclesiae facta esse mense Decembri anni 338 p. C. n. Seeckius persuasit (ibid. p. 54, 18 et Pauly-Wissowa RE. IV, 1 p. 1049[1]). Consilium ipsum cum ab anno 338 usque ad 341 (Seeck l. c. p. 405 ad 54, 18) fuerit, consecratio facta esse censenda est paulo postquam Constantius imperator iterum Antiochiam venit. Nam Antiochia Emesam, quae urbs non longe distat, iter fecerat mense Octobri (v. RE. IV, 1 p. 1047 et Gesch. IV, p. 412 sub 65, 31

[1]) Ecclesia sanctae Sophiae ipsa quoque die festo nati Christi 375 p. C. n. dedicata est. cf. Friedlaender, l. c. p. 109.

et 66, 2). Itaque Sieversius l. c. consecrationem ecclesiae anno 341 p. C. n. fuisse falso censuit[1]).

Quod si recte statuimus, Bemarchius, ut illam orationem haberet, anno 338 p. C. n. Constantinopoli profectus Antiochiam iter fecisse putandus est. Iam comparemus, quid supra, quando Constantinopoli afuerit Bemarchius, cognoverimus.

Cum Libanius Heraclea reversus Constantinopolim venit (anno 340), Nicocles ab eo petit, ut cathedram publicam accipiat, tum a rhetore Cyziceno occupatam, qui, quamquam ab ipso advocatus, ingratum se praebuit. Quae omnia, dico: advocationem rhetoris, eiusdem ingratum animum patefactum, Nicoclis alium rhetorem comparandi studium, brevi tempore facta esse verisimile non est. Itaque satis multum temporis interest, ex quo Bemarchius Constantinopolim reliquit. Alterum mihi argumentum datur hoc, quod, si paululum tempus Bemarchius afuisset, successor non invitatus esset. Eodem ducimur, si verba *φίλοις τε τοῖς ἀπ' ἐκείνων τῶν χρόνων* spectamus (p. 103, 8 cf. supra p. 47), quae non nisi de maiore spatio temporis intermisso dici posse videntur. Omnia bene congruunt. Neque video quid eorum, quae apud Libanium enarrantur, impediat, ne Bemarchium illam orationem dedicatoriam habuisse sentiamus.

Nondum dimidio anni 341 peracto Bemarchium redisse supra demonstravimus. Ubi autem tempus degit, tam diu extra Constantinopolim versatus? Orationem suam ostentavit per omnes fere orientis terras usque ad Aegyptum descendens (p. 103, 13). Longiusne tibi hoc temporis spatium videtur — Bemarchium enim initio anni 339 p. C. n. illud magnum iter per orientem Antiochia profectum inisse consentaneum est — ei, qui per tot terrarum urbes orationem declamans proficiscitur?

---

[1]) Seeckius RE. VII, 2 (anno 1912) p. 1656 s. v. Gorgonius II et Br. (anno 1906) s. v. Gorgonius III (p. 165) ecclesiam anno 340 dedicatam esse dicit. Quoquo modo error factus est, Seeckius Gesch. IV (1911) l. c. rem ita explicavit certis argumentis usus, ut, quin dedicatio anno 338 facta sit, dubium esse nequeat.

Denique etiam, quo mense anni 338 Constantinopoli cesserit, quaerere audemus. Dedicationem ecclesiae mense Decembri factam esse concedimus. Cum sciamus Constantium Bemarchio valde favisse, quid obstat, ne opinemur imperatorem Constantinopoli versatum mense Julio et Augusto (v. supra p. 49) rhetorem secum duxisse, ut ecclesiam, cuius celebrandae causa Antiochiam profecturus erat, oratione collaudaret et ornaret? Tantopere hac in ratione omnia inter se apta procedunt, ut audaciores non videamur, qui pro certo statuamus Bemarchium anno 338 p. C. n. Antiochiae, cum ecclesia a Constantino inchoata consecrabatur, celebrationis orationem imperatoris iussu habuisse[1]).

Sed cum consecrationem ecclesiae Decembri mense habitam esse censeamus, sane mirandum est, quod imperator illum, qui publicam artis dicendi cathedram obtinebat, tot mensibus antequam opus fuit — nam Constantius iam Octobri mense Antiochiae versatus est (v. supra p. 49) — secum duxit. Huic quaestioni non possumus operam impendere nisi parte dissertatiunculae insequenti peracta.

Atque nunc quidem, num quid ut de huius orationis argumento et forma eruamus nobis contingat, quaeramus. Atque ita rem instituamus, ut Libanii ipsius verba, quae de hac oratione fecerit, penitus perspicere studeamus et ceteras huius generis orationes perlustremus. Exoriendum est ab his verbis, quae denuo oculis subiciamus oportet. I, 1 p. 103, 12

---

[1]) Iam tempus est ad Bernhardyi sententiam redire, qui apud Suidam s. v. *Βημάρχιος* legere malle videtur *Κωνσταντίου*. Cum Constantius Constantinopolim venit (338 p. C. n.), unde Bemarchium secum duxisse cognovimus, rhetorem aliquamdiu ibi versatum esse necesse est, praesertim cum iam illo tempore celeberrimus esset. Itaque cum Constantini temporibus ibi floruisse censendus sit, Constantini ipsius iussu in imperatoris urbe Bemarchium artem dicendi docuisse verisillimum est. Huc accedit, quod Suidas refert eum Constantini res gestas descripsisse. Cuius imperatoris post mortem nimirum idem rhetor filii laudes celebrat. Contra Bernhardyum confer quae Gutschmidius apud Flachium l. c. s. v. adnotavit.

κρότῳ τε ἐπηρμένος καὶ οἷς εἰργάσατο χρήμασι, λόγον ἕνα μέχρι Νείλου δεικνύων τόν τε ἐναντία τοῖς θεοῖς τεταγμένον ἐγκωμιάζων, αὐτὸς θύων θεοῖς, διδάσκων τε καὶ διηγούμενος, οἷον αὐτῷ τὸν νεὼν ἐγεῖραι Κωνστάντιος. Enuntiatum eo modo constructum est, ut ad participii formam *δεικνύων* duo apponantur participia, — nam *αὐτὸς θύων θεοῖς* verba hic interposita, ut quam perditus sit Bemarchius maxime eluceat, orationis structuram concinnam non conturbant — quae illam, quae inest in *δεικνύων*, notionem dividunt in duas significationes illi ut ampliori summissas. Quid significaturus fuerit auctor sententia tam perspicue dipertita dubium non est: puto orationis partes. Altera orationis parte continebatur Christi *ἐγκώμιον*, altera ecclesiae ipsius descriptio vel, ut magis e rhetorum more dicam, *ἐκκλησίας ἔκφρασις.* Hoc unum monendum est, quod quamquam me fortasse non ex verbis *οἷον αὐτῷ τὸν νεὼν ἐγεῖραι Κωνστάντιος* cogniturum fuisse confiteor, ni mihi orationum talium materiae, de quibus statim dicam, innotuissent, tamen his rebus perspectis Libanium voluisse mihi persuasi: diserte auctor dicit Bemarchium enarrasse, qualem Constantius ecclesiam extruxerit, non, qualis exstructa sit aedificii auctore non memorato. Unde colligimus Constantium ipsum in oratione collaudatum esse.

Iam videamus num vera ex Libanii verbis effecerimus comparantes aliorum rhetorum orationes, quae quidem habitae sint in ecclesiis consecrandis. Quas ut inveniremus et colligeremus omnes satis temporis et operae consumendum esset, ni Paulus Friedlaenderus in libro supra adlato huius generis historiam acutissime explanasset. Qui vir doctissimus l. c. inde a p. 95 orationes huc pertinentes persecutus hoc primum docuit harum orationum genus derivari ex orationibus panegyricis, quae dicuntur, quarum partem encomium quodvis esse potuisse demonstrat. Alii rhetores aliter rem instituerint, inde a Dionysii Halicarnassensis quae vulgo ferebatur arte rhetorica certae talium orationum partes existunt descriptio et laudatio. Ut in consecrandis templis orationes habitae sunt (cf. Friedl. p. 97), sic postea ecclesias non sine orationibus rei aptis episcopi et

imperatores consecrabant. Neque desunt summorum episcoporum exempla, qui tales orationes habuerint (cf. Euseb. hist. eccl. X, 3, 4 locum suppeditat Friedl. 99). Atque, uti par est, Eusebius orationis, quam habuit in ecclesia Tyria consecranda, initium facit a laudatione dei et Jesu Christi (Friedl. ibid.), deinde episcopum laudat, qui ut iterum ecclesia aedificaretur curavit, tum descriptionem adiungit ipsam, denique in fine orationis iterum episcopo gratias agit. Hanc quamquam strenue explicavit dispositionem Friedlaenderus, tamen breviter adumbrandam mihi esse putavi, quo melius Bemarchii oratio nobis perdita fingi posset. Neque idem vir doctus Choricii illas duas orationes non tractat (p. 100 sq.), in quibus et encomium episcopi et ecclesiae descriptio multo accuratius et copiosius institutae sunt. Quae ratio excepta est a Paulo Silentiario, cuius *ἔκφρασις τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας Σοφίας* quamquam versibus conscripta, tamen eodem iure ad Bemarchii orationem restituendam advocari potest atque illae, quas supra enumeravimus, orationes pedestri sermone confectae, praesertim cum illius aetatis scriptores hasce res et prosa oratione et versibus usi tractaverint (cf. Friedl. p. 103). Paulus cum et imperatore (v. 1—80) et patriarcha (v. 81—134) laudibus non mediocribus ornatis aedificii singulas res disertissime et acutissime describat, Eusebius ne omnia diligenter enarret recusat praeteritionis figura usus (h. e. X 4, 44): *τί με δεῖ νῦν τῆς πανσόφου καὶ ἀρχιτεκτονικῆς διατάξεως καὶ τοῦ κάλλους τῆς ἐφ' ἑκάστου μέρους ὑπερβολῆς ἀκριβολογεῖσθαι τὴν ὑφήγησιν, ὅτε τῆς ὄψεως τὴν διὰ τῶν ὤτων ἀποκλείει μάθησιν ἡ μαρτυρία;* Partes ergo illae talium orationum, dico laudationem et descriptionem, apud alios rhetores aliud spatium occupaverunt.

Sed iam redeamus ad Bemarchii orationem, de qua Libanius narrare pergit p. 103, 16 sq. Rhetor ille cum Constantinopolim reversus, quantum gloriae non iniustae Libanius sibi peperisset, videret, ipse ab amicis admonitus, ut eum profligaret, eadem de re, de qua Libanius, oratione in publicum prolata inferior discessit. Qua re ira incensus

adversarium devincere conatur hac, de qua agimus, oratione recitata (p. 104, 7 sq.). Iam sequuntur verba illam orationem ipsam spectantia, ex quibus quid erui possit temptemus: . . . (p. 104, 9) *καὶ διεξιόντος αὐτοῦ κίονας δή τινας καὶ κιγκλίδας ὁδούς τε ὑπ' ἀλλήλων τεμνομένας ἐμπιπτούσας ⟨τε⟩ οὐκ οἶδ' ὅποι, βλέποντες εἰς ἀλλήλους οἱ καθημένοι, συνεῖναι αὐτὸς ἕκαστος οὐκ ἔχων, νεύμασι τοὺς ἀφεστηκότας ἠρώτων, εἰ τὸ αὐτὸ πάθοιεν, καὶ ταὐτὸ τοῦτο τοῖς ἄλλοις ἐγὼ παθὼν σαφηνείας δόξαν οἷς ἐθορύβουν ἐπειρώμην περιάπτειν τῷ λόγῳ χαριζόμενος τῇ φάλαγγι.* Hoc primum discendum et premendum est Libanium ipsum inter eos fuisse, qui orationem audiebant. Itaque non miramur quod p. 103, 13 sq. (cf. supra p. 52) orationis Bemarchii argumenta et dispositionem tam perspicue et diligenter explanare potuit. Deinde cognoscimus auctorem his, quae exscripsimus, verbis certum orationis locum respicere, quo rhetor attentionem audientium servare non potuerit[1]).

Et nunc quidem in ipsum locum inquiramus. Quid patet ex verbis *διεξιόντος αὐτοῦ κίονας δή τινας καὶ κιγκλίδας ὁδούς τε ὑπ' ἀλλήλων τεμνομένας, ἐμπιπτούσας ⟨τε⟩ οὐκ οἶδ' ὅποι?* Cum de columnis, cancellis, viis scilicet ecclesiae Antiochenae agatur, his verbis partem illius *ἐκφράσεως* spectari perspicuum est. Quem locum ut penitus perspiciamus nonnulla, quae quidem huc pertineant, exempla perscrutemur. Euseb. h. e. X 4, 39 in descriptione atrii ecclesiae Tyriae sic: . . . *διαλαβὼν δὲ πλεῖστον ὅσον τὸ μεταξὺ τοῦ τε νεὼ καὶ τῶν πρώτων εἰσόδων, τέτταρσι μὲν πέριξ ἐγκαρσίοις κατεκόσμησεν στοαῖς . . . κίοσι πανταχόθεν ἐπαιρομέναις· ὧν τὰ μέσα διαφράγμασι τοῖς ἀπὸ ξύλου δικτυωτοῖς ἐς τὸ σύμμετρον ἥκουσι μήκους περικλείσας.* Cum hoc Eusebii loco cancellis ligneis reticulatis intercolumnia clausa esse referatur, illo quoque loco cum de columnis et viis h. e. porticibus verba fiant, *κιγκλίδας*

---

[1]) Orationem Bemarchii postea ab auctore ipso publici iuris factam esse certum videtur.

illas cancellos esse inter columnas extructas consentaneum est. Similibus cancellis thysiasterium cinctum fuisse enarrat Eusebius h. e. X 4, 44, quem locum ea de causa appono, quod cur cancelli facti sint discimus: *αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις.* Neque apud Paulum Silentiarium desunt loci, quibus de his certiores reddamur (cf. e. g. Amb. 165 sq.). Hunc autem locum potissimum adnotare iuvat, ex quo, qua altitudine columnae et cancelli fuerint, in *ἐκφράσει* etiam describi discamus. Amb. 182 sq.

ἕρκεα δ' οὐκ ἰσόμετρα πεπηγόσι κίοσιν ἔστη,
ἀλλὰ τὰ μὲν χαρίεντος ὑπερτέλλουσιν ἐδέθλου
ὅσσον ἀποκρύπτειν ὑπὸ κεύθεσιν ἀνέρας ἄντρου·
οἱ δὲ βαθυγλύπτοισι καρήασι κίονες ὀκτὼ
ἕρκεος ἐξανέχουσι . . .

Quam usitatus et pertritus hic describendi modus fuerit, maxime apparet ex eius viae descriptione, quae ab infimo ambonis gradu ducta est ad argenteam presbyterii portam (Amb. 240—262), cuius descriptio, quamquam illa columnas ipsas non habet, tamen ita instituta est, ut plateae, inter quas parvulae pilae, quae fortasse melius antae nominentur, pro intercolumniorum saepibus habeantur, pilae pro columnis. Postquam *κίονας . . . καὶ κιγκλίδας* verbis quid Libanius significaturus fuerit, satis commentati sumus, verba *ὁδούς τε ὑπ' ἀλλήλων τεμνομένας ἐμπιπτούσας ⟨τε⟩ οὐκ οἶδ' ὅποι* restant, quae explicentur. In *Ἀντιοχικῷ* Libanius describit angiportus quosdam, qui priusquam in finem excurrant, alios secando transeunt: I, 2 p. 506, 1; cf. supra p. 12. Quo loco comparato cum demonstratum sit Bemarchium et ipsum in oratione viarum cursum diligentissime descripsisse, verba *ἐμπιπτούσαις ⟨τε⟩ οὐκ οἶδ' ὅποι* multis verbis interpretari non opus est, nam sufficit delegare te ad ea, quae supra p. 10 sq. de quattuor rebus in viis describendis adhibitis exposuimus. Hoc enim loco ante oculos habemus, quod supra

littera ‚*d*' notavimus. Bemarchius igitur et ipse illo ordine, ni plane eodem at certe simili, usus esse videtur[1]).

Perpauca sunt quae nobis dicenda relinquantur de Lib. I, 1 p. 104, 11 sq. Qui audiunt omnes cum non satis capti sint Bemarchii oratione, oratoris verbis aures praebere desinunt. Et Libanius ipse idem quod ceteri passus malignum in modum plaudit maxima voce, tamquam si orationem admiraretur, quod summa *σαφηνείᾳ*[2]) conscripta esset[3]). Atque perspicuitate tum quidem, cum Constantinopoli recitabat, orationem excellentem non fuisse consentaneum est, cum tales orationes ita confectae sint, ut in ipsa ecclesia haberentur et ea, quae orator enarraret et illustraret, eis qui audirent, ante oculos essent (cf. Euseb. h. e. X, 4, 44).

Denique huius ecclesiae descriptioni, quam O. Muellerus fecit l. c. p. 103 sq., haec, quorum testem Libanium invenimus, addenda sunt, aedificio neque columnas neque cancellos in intercolumniis collocatos neque viarum solitum cursum defuisse[4]).

---

[1]) Neque in Pauli Silentiarii ambonis descriptione deest exemplum aptissimum, quod hic afferatur, quamquam non accuratissime quaternas illas res enumerat. Sed hoc non exspectat nisi stultus, nam ordo ex re scriptori datur. Agitur de eadem via, quam modo tetigimus. Amb. 240—243.

[2]) *Σαφήνεια* quid sit optime discimus ex Hermogenis definitione (ed. H. Rabe *περὶ ἰδεῶν* I, 2 p. 226, 14: *σαφήνειαν τοίνυν λόγον ποιεῖ εὐκρίνεια καὶ καθαρότης* (cf. ibid. II, 11 p. 397, 14). Nam hoc Libanii loco vocabulum *σαφήνεια* (scil. *τῶν πραγμάτων*, non *λέξεως*) pro artis vocabulo accipiendum esse duco. cf. praeterea Aristid. *τέχν. ῥητ.* Spengel: Rhet. Gr. II p. 499, 27 sq.

[3]) Hunc ad locum in adnotatione Reiskius de Libanii animo et moribus iudicium tulit, quod, cum iustum esse mihi persuaserim, apponere liceat: „nusquam non Libanius animum, subdolum, veteratorem, versipellem, prodit, et paene domestico praeconio perfidiae et mendacitatis suae testes colligit.“ Notandum est auctorem occasione oblata idem committere, quod, cum iuvenes fecerint, reprehendit et castigat. v. I, 1 p. 272, 4 *τὰ δ' νεανικώτερα, τὸν γνήσιον τῷ νόθῳ βλάψαι κρότον.*

[4]) Muellerum l. c. p. 103 Johannis Chrysostomi verba (ad. Ephes. IV, X 2, Migne vol. 62 p. 78), quae de lapidum ad hanc ecclesiam aedificandam adhibitarum excellentia facit (*τῶν εἰς αὐτὴν* (scil. ecclesiam) *συντελούντων λίθων οἱ μέν εἰσι λαμπροὶ καὶ φαιδροί, οἱ δὲ ἐκείνων μὲν ἐλάττους καὶ ἀμαυρότεροι, πολλῷ δὲ ἄλλων βελτίους*) recte commentatum

Iam redeundum est ad eam quaestionem, qua, quando Bemarchius Antiochiam profectus sit, eruendum est. Supra omnia apta inter se procedebant, unum restabat, quod quaereretur neque satis intellegeretur, cur Constantius tot mensibus antequam ecclesia celebrata sit, Bemarchium secum duxerit. Scimus oratione Bemarchium diligentissime ecclesiae partes descripsisse et in ipsa ecclesia orationem habuisse. Qualem orationem nimirum rhetor componere non potuit nisi ecclesiam ipsam ante oculos habebat. Itaque Bemarchius tempus, quod inter Octobrem mensem et Decembrem intererat — intra quod Constantius imperator Emesam iit, ubi die 28 mens. Oct. versatur cf. supra p. 49 — consumpsit in oratione conficienda[1]).

CAPUT IV.

De Libanio psalmorum imitatore.

Scimus Libanii aetate non paucos fuisse, qui quamquam deorum cultum servarent, tamen Christum laudibus summis efferre non dubitarent. Libanius quoque, graecae superstitionis tenacissimus, Christianorum exacerbatus hostis, Juliani

---

esse mihi testatur Libanius, qui de Artemidis templo in suburbio Antiocheno sito I, 1 p. 319, 11 sq. verba facit, ubi idem lapidum et vilium et pretiosiorum usus commemoratur p. 319, 14 sq. *τὸ δὲ ἀπορραγὲν τοῦτο ὀφρῦς ἦν ὥρας εἵνεκα ὑπὲρ τῆς θύρας τεταμένη λίθου τοῦ στίλβοντος ἐγκειμένου τῷ μὴ τοιούτῳ . . . κτλ.*

[1]) Eiusdem ecclesiae Antiochenae nobis servatus est titulus dedicatorius quattuor versuum hexametrorum apud Johannem Malalam p. 326, 1 sq., quem hoc loco praeteriri nefas videtur. Quod epigramma cum corruptissimum dificillimumque sit neque ex codicibus aut graecis aut ex slavonicis quantum scio (cf. Schestakov, Vizantiskij vremennik, Petropol. 1894 T. I, p. 503 sq.) restitui possit, non tractabo.

familiaris, qui cum in omnibus fere orationibus tum in eis, quae ad Julianum pertinent, deorum cultum memorare et laudibus ornare in deliciis habet, in *Βασιλικῷ* (IV p. 208 sq.) voces et sententias a Christianis repetitas affert, ut Constantio et Constanti Caesaribus gratum faciat (cf. quae Foersterus dixit IV p. 201 adn. 3 et Sieversius l. c. p. 56 adn. 13). Hunc locum in fronte huius capitis afferre liceat, qui, quam sincere has sententias enuntiaverit, summo exemplo esse possit. IV p. 231, 1 *ἀεὶ μὲν οὖν ἔγωγε τῆς παρούσης βασιλείας τὸ πηδάλιον ἐν τῇ τοῦ κρείττονος ᾠήθην ἐγκεῖσθαι χειρί.* ibid. v. 6 *ἐπεὶ γάρ, ὅσον ἐδόκει τῷ κρείττονι, τὴν οἰκουμένην ὁ τῶνδε πατὴρ ἰθύνας αὖθις ἀπῆλθε συνεσόμενος τῷ τῇδε καταπέμψαντι . . .*[1])

Iam accedamus ad eum locum, quem accuratius commentaturi sumus: ibid. p. 294, 5 sq. *δοκεῖ δή μοι καὶ τὸ βούλευμα τοῦ τὴν οἰκουμένην συστησαμένου νῦν δὴ μάλιστα σώζεσθαι. ἐπειδὴ γὰρ ἵδρυσε μὲν τὴν γῆν, ἔχεε δὲ τὴν θάλατταν, ποταμοὺς δὲ προήγαγεν, ἔδειξε δὲ νήσων περίρρυτον θέσιν, πάντα μὲν εἰς τὸ δημιουργηθὲν ἐγκατέθετο σπέρματα καὶ βοσκήματα καὶ ὅλως ὁπόσων ἔμελλεν ἀνθρωπεία δεήσασθαι φύσις.* Pergit auctor enarrare sic: at non omnia omnibus hominibus deus dedit, sed aliis alia *εἰς κοινωνίαν τοὺς ἀνθρώπους ἄγων τῇ παρ' ἀλλήλων χρείᾳ.* Verba *τοῦ τὴν οἰκουμένην συστησαμένου* Christianam sapere sententiam, iam Foersterus l. c.

---

[1]) Alius eiusdem orationis locus comparandus est (p. 244, 7) *καὶ δόξαν οὕτως τὸν μὲν* (scil. *Κωνσταντῖνον*) *ἄνω πρὸς αὑτὸν καλεῖ* (scil. *ὁ κρείττων* cf. ibid. v. 4), qui clare Christianorum sententiam prae se fert. Quo de loco falso iudicavit I. Misson: Dieux solaires chez Libanius. Mus. belge. 1913, p. 170 adn. 5, qui multis locis, qui Libanium veterum de Orco sententiam servasse testantur, adlatis hunc locum Mithrae religionem spectare censet. Idem vir doctus ibidem, quod Libanius in orationibus ad Julianum pertinentibus Mithrae religionis dogma, quo docetur animas mortuorum Solis vehiculo in caelum ferri, non tetigit, miratur. Extat sententia simillima (Lib. ep. 371 *ὁ Ζεὺς δὲ ἐκεῖνος, ὁ σὸς προστάτης, καὶ παρ' οὗ κατέβης, καὶ πρὸς ὃν ἄπει*), quae clare Graecorum superstitionem sapit. Minime vero Joh. XVI 28 respici, quod Wolfius adnotat, nemo negabit.

monuit[1]). Sed nos nexum spectemus. Verba facit auctor de mundi fabricatore, qui, quando terram confecit — sic nunc quidem verba *ἐπειδὴ γάρ . . . περίρρυτον θέσιν* breviter exprimantur orportet — in terra, quam modo fabricavit (*εἰς τὸ δημιουργηθέν*), plantas et pecudes (*σπέρματα καὶ βοσκήματα*) posuit. Quibus sententiis quin veteris testamenti Genes. I. spectetur, dubium esse non potest. Atque huius libri vestigia auctorem premere penitus cognoscetur his, quae nunc exponemus.

Quae modo tetigimus verba obiter circumscribentes, ea *κατὰ κόμματα* distributa exscribere opus est.

ἐπειδὴ γάρ ἵδρυσε μὲν τὴν γῆν,
ἔχεε δὲ τὴν θάλατταν,
ποταμοὺς δὲ προήγαγεν,
ἔδειξε δὲ νήσων περίρρυτον θέσιν.

Quae verba sola tibi primum legenti psalmorum tenorem prae se ferre videntur; eodem ergo ducimur quo nexu sententiarum perspecto. Nam deum terram condidisse, mare effudisse, quisnam Graecorum sentit et dicit? Quamquam idem locus ad verbum expressus in psalmis non invenitur, — neque quisquam Libanii sermonis peritus exspectat hunc auctorem veteris testamenti verba ipsa adlaturum fuisse, quae ei horrida videbantur et a Demosthenis et Isocratis sermone plane aliena — tamen loci non desunt, quibus fere idem contineatur. Psalm.[2]) 88, 12 *σοί εἰσιν οἱ οὐρανοί, καὶ σή ἐστιν ἡ γῆ· τὴν οἰκουμένην καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς σὺ ἐθεμελίωσας.* ibid. 103, 5 *ἐθεμελίωσεν τὴν γῆν ἐπὶ τὴν ἀσφαλίαν αὐτῆς.* Vides Libanium pro *θεμελιοῦν* verbo posterioris aevi *ἱδρύειν*[3])

---

[1]) Notandum est Themistium eundem se praebere videri ac Libanium amicum, ut sint hae sententiae Christianae, non Platonicae; cf. e. g. or. V, quam habuit in honorem Joviani imperatoris Christiani (ed. Dind.) p. 83, 8 *ταύτῃ νόμιζε γάννυσθαι τῇ ποικιλίᾳ καὶ τὸν τοῦ παντὸς ἀρχηγέτην.*

[2]) Editione veteris testamenti utor, quam confecit H. B. Swete: the old testament in Greek.

[3]) Eadem vi *κτίζειν* ursurpatur cf. Psalm 88, 13 *τὸν βορρᾶν καὶ θαλάσσας σὺ ἔκτισας.*

adhibentem. Ad alterum comma hoc apte adfertur. Chron. II, 4, 2 *καὶ ἐποίησεν τὴν θάλασσαν χυτήν;* Jes. Sir. 43, 19 *καὶ πάχνην ὡς ἅλα ἐπὶ γῆς χέει.* Cum verbis *ποταμοὺς δὲ προήγαγεν* velim conferas Ezech. 31, 4 *τοὺς ποταμοὺς αὐτῆς ἤγαγεν κύκλῳ τῶν φυτῶν αὐτοῦ.* Jes. VIII, 7 *διὰ τοῦτο ἰδοὺ Κύριος ἀνάγει ἐφ' ὑμᾶς τὸ ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ τὸ ἰσχυρὸν καὶ τὸ πολύ.* Quamquam quarti commatis sententiam et verba exemplis aptis ornare non possum, tamen his, quae attuli, satis me effecisse reor, ut demonstratum sit Libanium hoc loco veteris testamenti enuntiationem quandam exprimere temptasse. Sed mittamus argumenta ipsa; nunc sententiae formam inspiciamus. Invenimus sententiarum ‚parallelismum', ut hac in re hoc vocabulo meo iure utar, qualis extat in poesi hebraica, invenimus membra *δέ* vocula ter posita coniuncta. Haec tantum erueram, cum ad Nordeni librum, cui inscribitur ‚*Ἄγνωστος θεός*', legendum accessi. A quo viro doctissimo postquam edoctus sum, haec habeo, quae addam. Ante oculos habemus praedicationem dei, quae antea participii forma exstructa fuisse putanda est. Libanius enim hanc praedicationem, quae erat *ὁ ἱδρύσας . . . κτλ.*, ut tempus, quo mundus fabricatus sit, circumscriberet, *ἐπειδὴ γάρ* praeponens aliter extruxit formis verborum mutatis, sed verborum collocatione fere servata. Nam hoc Nordenus ultra dubitationem statuit (p. 203) verba in principio commatis posita non Graeci sed orientalium gentium sermonis solius proprium esse. Idem vir doctus sescenta exempla ad rem, de qua agimus, pertinentia attulit e. g. p. 205, 221 adn. 1 et passim. Quod in tertio commate verbum in fine positum est, rationi non obest. Sane mirandum est, quod illa praedicatio, de qua Nordenus dicit ‚die Prädikation Gottes als des Weltschöpfers mit den in ihrer Schlichtheit großen Worten des alten Testaments', apud Libanium legitur. Denique *ἦθος*, quod in loco est, ut plane sentiatur, apte advocantur haec: Acta apost. 4, 24: *δέσποτα, σὺ ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς* et Dan. IV, 34.

Alius locus, qui veteris testamenti locum sincere exprimit,

hic se nobis obfert: VIII, p. 260, 3 (in *δικαιοσύνης* encomio) *καί τις ἂν ὅλῃ πόλει τὰς αἰτίας ἀφείη τὸν δίκαιον αἰδεσθείς*, ad quem Foersterus ipse adnotavit Gen. 18, 26: *εἶπεν δὲ Κύριος Ἐὰν εὕρω ἐν Σοδόμοις πεντήκοντα δικαίους ἐν τῇ πόλει, ἀφήσω πάντα τὸν τόπον δι' αὐτούς*. Hoc progymnasma quod a Libanio abiudicemus, non video neque Foersterus de genuitate dubitat (cf. VIII, p. 209 sq.). Vides quanta elegantia illam rem tangat atque ita adumbret, ut illorum librorum tenorem, e quibus res sumpta sit, fere extinguat. Quo modo fit, ut haec sententia non ut plane aliena legatur inter res vere Graecas (v. e. g. p. 257, 14: *ὁ δὲ Ζεὺς καὶ πάρεδρον ποιεῖται τὴν Δίκην*. ibid. v. 19 sq. *τίς γὰρ οὐκ ἀκήκοε περὶ Μίνωος ὡς ὑπὸ γῆν κάθηται τοῖς ἀπιοῦσι δικαστής* et plura).

Iam nimirum quaerendum est, unde Libanius veterum auctorum studiosissimus et peritissimus illarum rerum cognitionem sumere potuerit. Cum Constantinus imperator Christianorum ut imperii religionem comprobabat, Libanius puer decem annorum erat. Scimus eum, priusquam Athenas profectus est, viginti duos annos Antiochiae versatum et eruditum esse, quae urbs quanta fuerit in omnibus rebus Christianis, inter omnes constat (cf. A. Harnack, Ausbreitung des Christentums p. 431 sq.). Inde ab anno 324 Christiana superstitio magis magisque valere coepit praecipue in orientis terris. Tum, cum oratio, e qua locus, de quo agitur, sumptus est, Nicomediae habita est — anno 349, cf. quae statuit Foersterus IV, p. 201 adn. 2 —, Libanius quinqe annos, quos felicissime omnium peractos esse vitae postea confessus est (I, 1 p. 108, 12), ibi versatur. Qua in urbe, quam Christianorum illius regionis quasi caput fuisse scimus (cf. Harnack, l. c. p. 477 sq.), fieri non poterat, quin orator, qui satis magna gloria fruebatur, consuetudine Christianorum uteretur[1]). Quae cum ita sint, Christianorum libri ei non innotescere non potuerunt. Quodsi respicimus, Libanium tam penitus sermonem et argumenta

[1]) De Basilii et Libanii Nicomediae usu habito cum certum mihi quidem non constet, hac re argumento uti nolo.

horum librorum perspexisse et didicisse, ut non sine arte exprimere potuerit, verisimillimum, ne dicam certum, est Libanium Christianorum scriptis sacris legendis operam dare non aspernatum esse[1]).

CAPUT V.

Observationes criticae.

I, 1 p. 104, 13. Bemarchii oratio quantulum moverit eorum, qui audirent, animos, Libanius his enarrat (p. 104, 11): *βλέποντες εἰς ἀλλήλους οἱ καθήμενοι, συνεῖναι αὐτὸς ἕκαστος οὐκ ἔχων, νεύμασι τοὺς ἀφεστηκότας ἠρώτων, εἰ τὸ αὐτὸ πάθοιεν* . . . Sic scribendum ex consensu omnium fere codicum. Voce *ἀφεστηκότας* in disceptationem vocata Foersterus an potius scribatur *παρεστηκότας* dubitat. Atque nititur loco quem adnotat, I, 1 p. 85, 3 *ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσι τοῖς Ἀριστοφάνους ἦν καθημένῳ τῷ γραμματιστῇ παρεστηκώς*. Priusquam hunc locum paucis commentor, adnotandum est hic puerum Libanium solum institui, non discipulorum gregem. Atque discipulum stare, magistrum sedere Libanius diserte refert. Quanta autem iuvenum adversus praeceptorem reverentia fuerit, bene docemur p. 318, 22 (ad Libanium praeceptorem, qui solus in

---

[1]) Nuper Paulus Maasius tres novas epistulas invenit inter Gregorium Nyssenum et Stagirium sophistam datas (Sitz. d. Berl. Akad. 1912, p. 988 sq. Zu den Beziehungen zwischen Kirchenvätern und Sophisten I. ibid. p. 1112 sq. pars II.), quae mutilata quidem forma irrepserunt in epistulas inter Libanium et Basilium datas (Lib. ep. 1592, 1593, 1587 cf. Maas, l. c. p. 993 sq.). Contra Maasium Adolfus Laube (de litterarum Libanii et Basilii commercio. diss. Vratisl. 1913) epistulas, qua quidem forma servatae sint in Libanii epistulis, quamquam genuinas esse negat, at priorem certe faciem praebere demonstrare conatus p. 44 hoc modo argumentatur: „Quam male iocatur idem Stagirius [Maas p. 993 ep. a. v. 7] *σὺ μὲν γὰρ κἂν ἐκ τοῦ παραδείσου τεμεῖν βουληθῇς, δύναμιν ἔχεις.* Scriptor epistularum mutuarum cautior erat, quam ut adhiberet talem

βουλευτηρίῳ versatur, discipulus venit, ut illi orationem, quae est de arte dicendi, recitet): *οὕτω δὲ ἀναστὰς ἐλθὼν ἐπὶ τὴν θύραν ἑστὼς ἑστῶτος ἠκροώμην.* Hoc quoque loco et discipulum stare et magistrum orator commemorat. Iam intrant domum (ibid. v. 24) *καί με ἔννοια τῆς νόσου τῆς τῶν ποδῶν εἰσῄει καὶ ὡς πολὺ βέλτιον καθήμενον ἀκούειν. ἀπελθὼν*

---

locutionem [hic enim locus omissus ep. 1592], quae a Libanii consuetudine plane aliena est. Omnino Libanium hanc dictionem intellecturum fuisse nequaquam certum mihi videtur.“ Putasne re vera rhetorem celeberrimum, qui consuetudine usus est Christianorum illius aevi hoc verbum non intellexisse? Etsi nesciebatur, quae supra explanavi, tamen quo aevo quaque in urbe rhetor fuerit, si respicitur, consentaneum est, fere neminem nisi plane indoctum extitisse, cui tales dictiones ignotae essent. Antiochiae plures Christianos fuisse quam Constantinopoli Johannes Chrysostomus, Libanii aequalis enarrat (Migne vol. 47 p. 796). Idem eadem in urbe ducenta milia hominum habitasse refert (vol. 48 p. 591), quorum dimidium Christiani fuerunt (cf. Harnack l. c. p. 436). Deinde scimus et in aliis terris et in Syria Christianos in fronte aedificiorum et in ecclesiarum muris vel portis versus ex psalmis vel omnino ex scriptis sacris advocatos insculpere solitos esse, quarum inscriptionum exempla permulta ad nos pervenerunt, cf. Oppenheim und Lucas: Inschr. aus Syrien usw. Byz. Ztschr. XIV (1905) p. 1 sq. Praeterea cf. Mommsen: Röm. Gesch. V 469. Quamquam illi viri doctissimi Antiochiae ipsius titulos non investigabant, sed urbes tantum Syriae non procul ab illa sitas perlustrabant, tamen eandem consuetudinem ibi viguisse certum est. Vel ex illis inscriptionibus — cf. l. c. titulos 22. 32. 48 — Christianorum nonnullae sententiae cognosci poterant. — Ep. 1586 (cf. Maas l. c. p. 1116) locum novi testamenti exprimi verbis *μὴ χρῆναι μέχρι δυσμῶν ἡλίου λύπην φυλάττειν* (cf. Eph. 4,26) iam Wolfius adnotavit. Sed hoc exemplo uti non licet, quod haecne epistula genuina sit, recte dubitari potest. cf. Maas l. c. p. 1117 adn. 1. — Hoc unum adiungere liceat: Laubius Maasii sententiam ut refutet, nonnulla argumenta affert, quae utique refellenda sunt. Epistula 1592 lacuna quadam, quae hiat post vocabulum *γινόμενος*, destituitur; qualis est in codice Patmensi (cf. Maas l. c. p. 993) epistulae facies, quamquam integra est et lacunam non praebet et sententiae recte procedunt, tamen a Laubio ‚hic verborum connexus‘ reicitur, cum ‚in sermone epistulari‘ saepe structurae coeptae relinquantur. Sanane haec ratio tibi videtur? Deinde loco, quem adfert l. c. p. 42 (Lib. IV p. 990, 17 editionis Reiskianae, apud Foersterum VIII 325, 20 sq.), ut epistulam falsarii esse evincat, non demonstratur nisi Stagirium sophistam Libanii ipsius verba spectare et Maasii rationes rectas esse.

οὖν καὶ καθεζόμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου κελεύσας ἐκεῖνον ταὐτὸ ποιεῖν ἐπὶ θατέρου. Videmus magistrum, postquam ipse consedit, discipulum, ut considat, monentem. Talem in modum unus discipulus se gerit, dum apud magistrum est. Cum, de quo agimus, loco discipulorum turbam rhetoris orationem audire enarretur, *παρεστηκώς* illud (I, 1 p. 85, 3 sq.), ut adminiculum sit, acciri non debet. Ut eo, unde exorsa est disputatio, sic hoc loco (I, 1 p. 271, 15 sq.) de permultis discipulis audientibus agitur, qui, quales iuvenes in talibus orationibus audiendis se praebuerint, bene docet . . . *λεγομένου δὲ ἤδη καὶ δεικνυμένου* (scil. *τοῦ λόγου*) *πολλὰ μὲν νεύματα πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ἡνιόχων καὶ μίμων καὶ ἵππων καὶ ὀρχηστῶν . . . ἔτι τοίνυν οἱ μὲν ἑστᾶσι . . . οἱ δ' ἑκατέρᾳ χειρὶ τὰς ῥῖνας ἐνοχλοῦσιν, οἱ δὲ κάθηνται . . . τοῖς δ' ἀρκεῖ πρὸς τὰ φύλλα βλέπειν, τοῖς δὲ λαλεῖν ὅ τι τύχοιεν, ἥδιον ἢ παρέχειν αὑτοὺς τῷ ῥήτορι. τὰ δ' αὖ νεανικώτερα . . . διὰ τοῦ θεάτρου πορευθῆναι παντὸς* (fortasse melius legitur *πάντως*, quod ad sequentia trahendum est) *ἀφέλκοντα τῶν λόγων ὁπόσους οἷόν τε, νῦν μὲν ἀγγελίαις ἐψευσμέναις, νῦν δ' ἐπὶ λουτρὸν κλήσει.* Ut apud Bemarchium orationi minime intenti, sic dum Libanius ipse orationem habet, alii discipuli aliud agunt. Denique *ἀφεστηκότας* quomodo accipiendum sit, quaerimus. Quos castigat Libanius iuvenes (p. 272, 3), non solum nutibus utuntur, sed alius alium magna voce adloquitur. Tam audaces apud Bemarchium non sunt discipuli, sed etsi sedent (v. *καθήμενοι*), tamen alius alium intuetur, non rhetorem, qui declamat, nutibus autem alius ex alio quaerunt, num ipsum taedeat orationis. Itaque *ἀφεστήκοτας* tenendum et accipiendum est: ‚eos, qui spatio quodam intermisso sedebant'.

vol. I, 2 p. 457, 18 sq. Libanius rhetores castigat mendaces, quod deos de urbibus capiendis certantes fingunt . . . (458, 2) *καὶ μικροῦ διαλύουσι* (scil. *οἱ ῥήτορες*) *τὴν ἁρμονίαν τοῦ πάντος*[1]) *εἰς τὴν τῆς θεομαχίας τόλμαν δυσσεβέσι κόσμοις*

[1]) *ἁρμονία τοῦ παντός* v. Jambl. de myst. 4, 9 (p. 192, 5 ed. G. Parthey), quae notio a philosophis Platonicis, qui Libanii aetate fuerunt, sescenties commemoratur.

κοσμοῦντες ἃς ἐπαινοῦσι πόλεις καὶ διὰ τῆς εἰς τὸ θεῖον ὕβρεως πληροῦντες τοῖς ἀνθρώποις τὴν χάριν, ἀγνοοῦντες, ὡς ἑνὶ τούτῳ ψεύδει καὶ τῶν ἄλλων ἐπαίνων ἀφαιροῦνται τὴν πίστιν. Pro *τοῖς ἀνθρώποις*, quod exhibent omnes codices, Foersterus scribit *τῆς εὐνοίας*, adnotans p. 468, 19, ubi sic (v. 16): *οὕτω δὴ τὰ περὶ τοὺς θεοὺς κατεσκευασμένος καὶ ὅθεν ἄξιον ἀρξάμενος, ἀπὸ κρηπῖδος ὁρμηθεὶς παρεχούσης ἐλπίδας, τῆς τε ἐκείνων εὐνοίας λέγω καὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως* . . . Hoc loco Libanius Seleucum praedicat, quod in urbibus condendis non nisi a deorum benevolentia orsus est; *ἐκείνων* i. e. deorum *εὔνοια*. Quid hic ad illum locum? Cuius sententia fere haec est: deis iniuria fit, ut hominibus gratia fiat. Iam cum perspicue sententia dividatur in has duas partes *καὶ διὰ τῆς εἰς τὸ θεῖον ὕβρεως* — *πληροῦντες τοῖς ἀνθρώποις τὴν χάριν* et nimirum *εἰς τὸ θεῖον* et *τοῖς ἀνθρώποις* a rhetore opponantur, verba *τοῖς ἀνθρώποις* sollicitari nefas videtur. Quam intrusit in textum coniecturam editor III p. XXXIII praef. tueri conatur a Schenkelio, qui verbis traditis servatis *πληροῦντες τοῖς ἀνθρώποις τὴν χάριν* vertit: „den Menschen zu Gefallen redend“. Foersterus ibid. sic: „et quomodo *δυσσεβέσι κόσμοις κοσμοῦντες ἃς ἐπαινοῦσι πόλεις* vel *θεομαχίαις* gratiam hominum ineant vel quid hoc omnino sibi velit, me non intellegere profiteor.“ Sed hoc mihi quidem constare videtur, rhetores, cum deorum certamina de urbibus possidendis facta urbium incolis enarrant et amplificant, audientium auribus magnopere blandiri. Hinc exorsi rem interpretemur. *χάρις* vocabulum hoc loco accipiendum esse censeo pro ‚gaudio' (cf. Plat. soph. 222 e *διὰ χάριτος καὶ παντάπασι δι' ἡδονῆς*), *πληροῦν* pro ‚satiare', quae vis saepe occurrit. Neque iniuria me ad hanc interpretandi rationem me applicare concedet, qui hoc cognoverit: Lib. VIII 201, 15 *καὶ τὸ ἀπὸ νεύματος ἐξεῖναι πληροῦν τὰς ἡδονάς*. Itaque locus sanus est.

Libanius or. XII, cui inscribitur *εἰς Ἰουλιανὸν αὐτοκράτορα ὕπατον* vol. II p. 24, 7 Julianum nuper Caesarem designatum a Constantio imperatore in Galliam missum fortiter res

aggressum esse postquam narravit, his pergit verbis: *ὑπεσκέλιζον δὲ τὴν ὁρμὴν οἱ ἵππαρχοι καὶ λοχαγοὶ καὶ ταξίαρχοι πληροῦντες ἐντολὰς δεσπότου.* Sic textum a Foerstero constitutum constitui iubent optimi codicum, qui extant. At *ἵππαρχοι* vocabulum ab editore nimirum perpensum quod iterum perpendatur, dignum videtur. V U I enim codices pro *ἵππαρχοι* exhibent *ὕπαρχοι*. Quae enumerantur appellationes *λοχαγοί* et *ταξίαρχοι* non armorum genus sed ordinem militum spectant, quas iuxta *ἵππαρχοι* positi admirationem movent. Atque iure te mirari docent, quae leguntur l. c. p. 23, 17 *ὁρμηθεὶς τοίνυν ἐξ Ἰταλίας σὺν ὁπλίταις ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις* (scil. *Ἰουλιανός*), unde equitatum omnino non fuisse Juliano in Galliam proficiscenti certiores reddimur. Neque quicquam non efficit similis legatorum, ut ita dicam, enumeratio l. c. p. 38, 16 *ἐντεῦθεν οὐ καθίζει βουλὰς στρατηγῶν καὶ λοχαγῶν καὶ ταξιαρχῶν.* Itaque V codici obsequendum — I et U aevi posterioris atque minore fide digni sunt — et *ὕπαρχοι* scribendum est. Denique ne *ὕπαρχος* vocabulum a Libanii sermone alienum esse suspiceris, appono vol. II p. 329, 19 *ἀλλὰ πλοίων ἐμπλῆσαι τὸν Εὐφράτην καὶ τροφῆς τὰ πλοῖα πρὸς τὸν ὕπαρχον εἴρητο.*

vol. II (or. XIII) p. 70, 6 haec leguntur: *τὰ δὲ ἐπὶ τούτοις ἔτι μείζω τὴν ἀπόδειξιν ἔχει τοῦ βουλαῖς δαιμόνων διοικεῖσθαί σοι τὸν βίον, καὶ ὡς περιστάντες ἐφρούρουν τε φιλοπόνως καὶ φόβων ἔλυόν τε καὶ πρὸς δύναμιν ἦγον, οὐ . . . κτλ.* Complexus verborum, qui ab *ὡς* vocabulo incipit, careret subiecto, quod dicimus, nisi ex *δαιμόνων* antecedenti silentes suppleremus *δαίμονες*. Praeterea res obiecta, quae cum illis tribus verbis coniungatur, desideretur, nisi ex antecedenti *βίον* enucleemus et suppleamus *βίον*. Sed *βίον* rem obiectam adgnosci vetare videntur haec duo verba *φόβων ἔλυον* et *πρὸς δύναμιν ἦγον*, pati *ἐφρούρουν* verbum. Ac vocabula quidem *φόβων ἔλυον* et *πρὸς δύναμιν ἦγον* particulis *καί . . . τε καί* recte ut paria inter se coniuncta sunt. At illud *τε*, quod consensus exhibet codicum inter *ἐφρούρουν* et *φιλοπόνως* positum suspicionem movet, praesertim cum supervacuum esse videatur.

Sed pro *τε* scribe *σε*, iam res vere obiecta reperta et sententia restituta erit.

Libanius postquam vol. III p. 127, 3 Antiochenos suos ad artem rhetoricam, quae urbem celebrem beatamque redderet, servandam adhortatus est, his pergit (v. 11). *ὥσπερ οὖν οἷς ἐστιν ἀπὸ τῶν ὅπλων καὶ τοῦ νικᾶν ἐν μάχαις ἡ δύναμις, εἰ τὴν τῶν ὅπλων ἐργασίαν καταλυομένην περιορῷεν, ἀδικοῖεν τ' ἂν εἰς τὸ κτῆμα καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἀπολλύοιεν, οὕτως οἱ τῷ λέγειν εἰδέναι πλεῖστον ἐπιδεδωκότος, ἂν μὴ τὸ χρῆμα συνέχωσι τῶν λόγων, ἐνέχοιντ' ἂν αἰτίᾳ.* Quae verba ut intellegerentur, Foersterus *ἀδικοῖεν τ' ἂν*, quae omnibus codicibus exhibentur — nam quod *ε* in I erasum est, nihil fere efficit —, in *ἀδικοῖντ'* mutanda esse duxit. Num lectionem codicum turbare opus sit, quaeramus hac ratione, ut sententiarum nexum perlustremus. Comparatione allata, ut cives doceat, non satis rhetoribus et rhetorum arti si provisuri sint, ipsos detrimentum capturos esse, cola et commata ita disponit, ut plane respondeant.

ὥσπερ . . . δύναμις, — εἰ . . . περιορῷεν, — ἀδικοῖεν τ' ἂν . . . ἀπόλλύοιεν, — οὕτως . . . ἐπιδεδωκότες — ἂν . . . τῶν λόγων, — ἐνέχοιντ' ἂν αἰτίᾳ.

Sententia haec est: si mercennarii milites artem armis utendi perire sinunt — ac primum quidem, de quo dissentitur, omitto —, se ipsi perdunt, scil. ipsi arte non satis curata victum amittunt. Quomodo hac cum re consentit *ἀδικοῖεν εἰς τὸ κτῆμα*? Optime consentit. *Κτῆμα* enim eorum, qui pugnant, ars est armis utendi, quam si deficere sinunt, iniuria afficiunt suas res, fortunam ipsam corrumpunt. Atque eodem modo Antiocheni in culpa essent, si bona, quibus arte rhetorica afficiuntur, non tutati delabi paterentur. Itaque, cum praesertim *ἀδικοῖεν ἂν εἰς τὸ κτῆμα* et *σφᾶς αὐτοὺς ἀπολλύοιεν* bene *τε . . . καί* voculis coniungantur, Foersteri rationem reiciendam esse puto et *ἀδικοῖεν τ' ἂν* cum codicibus scribendum esse.

vol. VI p. 578, 17 sq.: p. 576, 12 sq. parasitum ad cenam invitatum equum conscendisse narratur, quo celerius ad cenae

delicias perveniret. p. 578, 17 parasitus haec: *καὶ τὰ μὲν πρῶτα, νὴ τοὺς ἄλας τούτους*[1] — —[2] *ποῖ δὲ ὁ δυστυχὴς παρατρέπομαι συμπόσιον τὸ δικαστήριον οἰηθείς; ἀλλ' οὖν τά γε πρῶτα κατὰ γνώμην ὁ σκοπὸς ἐχώρει καὶ τοσαύτῃ ταχύτητι τάς τε ὁδοὺς καὶ τὰς ἀγυιὰς καθιπτάμην ὥστε* . . . Vocabulum *σκοπός*, quod consensu codicum exhibetur, a viris doctis sollicitatum est: Gasda *δρόμος* vel *στόλος* coniecit, Foersterus in apparatu: „num *ἵππος*?" Locus autem, quem adnotavit Foersterus (p. 586, 8 *τὰς Αἰτωλικὰς τὰς Διομήδους ἵππους οὐκ ἀκούομεν* . . .) nil docet nisi *ἵππος* vocabulum apud Libanium inveniri. Sed hunc locum a coniecturis tuendum esse censeo, postquam mihi occurrit Herodian. 2 (15, 12): *ἐμοὶ δὲ σκοπὸς ὑπάρχει ἐτῶν ἑβδομήκοντα πράξεις... γράψαι*, unde elucet *σκοπός* vocabulo vim propositi inesse. Deinde alter mihi testis existit Cic. ep. ad Att. XV 29: „*σκοπός* (hoc est enim) huic nostro nihil praebere." Quibus duobus locis quamquam satis auctoritatis inest, ut codicum lectionem teneamus, tamen nonnulli Libaniani mihi adsunt loci, qui plus valeant: II 150, 13 *τῶν μὲν ἔργων σοι χωρούντων κατὰ νοῦν*. VIII 119, 10 *εἰ τοίνυν οἷς περιουσία χρημάτων, τούτοις ἅπαντα χωρεῖ κατὰ νοῦν*[3]). In utroque enuntiato quamquam non legitur *σκοπός*, tamen hos locos afferre contra rationem esse non putavi, cum plane eandem sententiam praebeant ac, de quo agitur, locus vocibus tantum variatis. Itaque cum in eodem verborum nexu loco vocabuli *σκοπός* apud Libanium inveniatur *τὰ ἔργα* vel vocabulum incertum rei plane aptum (*ἅπαντα*), vocabulum *σκοπός* bene perspici posse quis est qui neget? Vertendum ergo est: „Ac primum quidem propositum mihi ex sententia successit."

---

[1]) Hunc locum sanum esse docet, qui a Foerstero adnotatus est locus Heliodori: Aeth. VI, 2.

[2]) Has lineolas ipse posui, quod eis opus esse perspicuum est, cum hanc quam enuntiaturus erat sententiam, interrumpat interiectis verbis ‚*ποῖ δὲ ὁ δυστυχὴς παρατρέπομαι συμπόσιον τὸ δικαστήριον οἰηθείς*;' et verba *καὶ τὰ μὲν πρῶτα* excipiantur his verbis *ἀλλ' οὖν τά γε πρῶτα* (579, 1).

[3]) Declamationem, ex qua hunc locum advocavi, Foersterum a Libanio abiudicare dicere non supersedeo.

Iam sequuntur nonnullae emendatiunculae, quae a Foerstero volumine VIII receptae sunt.

VIII p. 86, 16: Libanius de eorum, qui arti dicendi operam dant, laboribus maximis fuse verba facit p. 86, 16 *οὔτ' οὖν προϊοῦσιν οὔτ' οἴκοι διατρίβουσιν . . . οὐ νυκτὸς, οὐχ ἡμέρας ἐστὶν ἀναπαύλης σχολὴ, ἀλλὰ διὰ πάντων τῶν πόνων χωρεῖ.* Sic codices. Subiectum, quod referatur ad *χωρεῖ* utique desideratur; neque, Sintenis quod scribere proposuit, *χρόνων* si accipimus, sententia restituta est. Articulo *τά* post *πάντων* inserto recte loco medelam adhibitam esse testatur I, 1 p. 109, 18 *τὸ δὲ τὰ τῶν λόγων εὖ καὶ καλῶς χωρεῖν.*

VIII 143, 16 *θαυμάζω δὲ εἰ μὴ τοῦτο δύνανται μαθεῖν, ὅτι προσποιοῦνται μὲν ἐκείνων* (scil. *τῶν ποιητῶν κατηγορεῖν*), *κατηγοροῦσι δὲ τῶν Μουσῶν.* Vocula *μή* librorum omnium memoria tradita quod ante *τοῦτο* posita est, hoc ipsum negari apparet. Antea auctor explicavit, quanta misericordia ei digni sint, qui quamquam artem poetarum omnino non intellegunt, tamen eos obiurgant. Plane eadem sententia allata est in prooemio antecedentis confirmationis p. 138, 5 sq. Recte procedit oratio sic: Ut id illis non datum sit, at miror, quod ne hoc quidem intellegere possunt . . . Scribendum igitur est: *μηδέ.*

VIII 309, 21 sq. Libanius de homine divite declamans sic perorat: *ὁ πλουτῶν ἀμελεῖ παιδείας ὡς ἀρκούντων αὐτῷ τῶν χρημάτων καὶ τὸν πέλας ἀδικεῖ προσπεριβαλέσθαι τοῖς οὖσιν ἐθέλων.* Cum obiectum, quod pendeat a *προσπεριβαλέσθαι* expetatur et apud Demosthenem (Phil. I, 9) legatur *καὶ οὐχ οἷός ἐστιν ἔχων ἃ κατέστραπται μένειν ἐπὶ τούτων, ἀλλ' ἀεί τι προσπεριβάλλεται,* apud Pausaniam (I, 10, 1) *προσπεριβάλλεσθαί τι ἐθέλει,* ante *τοῖς* vocabulum *τι* inserendum videtur.

Loci recensiti.

Vita.

Natus sum Max Schwabe anno p. Chr. n. 1889 a. d. XIII. Kal. Augustas Halis Saxonum patre Waltero, quem praematura morte mihi ereptum esse lugeo, matre Theresia e gente Stern. Fidei adscriptus sum judaicae. Patrio in oppido litterarum elementis postquam per tres annos imbutus sum, gymnasium Halense per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus vere a. 1908 in civium almae matris Halensis numerum receptus sum. Autumno eiusdem anni Berolinum migravi, ubi me studiis philologis dedidi. Docuerunt me viri docti Halenses Bremer, Ebbinghaus (†), Robert, Berolinenses Comes de Baudissin, P. Friedlaender, Diels, Harnack, Kekulé de Stradonitz, Kretschmar, Meister, Mewaldt, Mutschmann (†), Norden, Lasson (†), Loeschke (†), R. M. Meyer (†), Riehl, Roediger (†), Roethe, E. Schmidt (†), M. C. P. Schmidt (†), Simmel, W. Schulze, Strack, U. de Wilamowitz-Moellendorf, Woelfflin. Sodalis ordinarius fui proseminarii philologi coetus inferioris per sex menses, superioris per binos senos menses moderantibus de Wilamowitz-Moellendorff, Norden, Meister, Mutschmann, seminarii regii philologi per duo semestria moderantibus U. de Wilamowitz-Moellendorff, Norden.

Quibus cunctis inprimis Wilamowitzio et Nordeno, gratias ago candidas, quorum Wilamowitzius ad hanc dissertationem conficiendam me incitavit. Quantum his viris doctissimis debeam, hic dicere, si vellem, vix possem. Denique decet me E. Täubleri mentionem facere, qui per omne tempus studiis meis favit.

Examen rigorosum habitum est die 28. mensis Maii a. 1914.
